

h
05
3

PHILOSOPHORVM DE QVIETE DEI PLACITA

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHICI
AVCTORITATE
IN ACADEMIA LIPSIENSI
A. D. XXI. SEPT. A. I. S. CIↃIↃCCXXXX
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBIICIT

IOANNES BENEDICTVS CARPZOV
LIPSIENS. PHILOSOPH. MAGIST

RESPONDENTE

IOANNE CAROLO STEINEL
LIPS. PHIL. ET LEG. STVD










I.B.Bernigeroth aeri incidit Lipsiae



ILLVSTRI

ET CONSVLTISSIMO

VIRO

FRIDERICO BENEDICTO OERTEL

DYNASTAE IN GAVTZSCH

ALT ET NEV COETITZ

NEC NON IN DOEBITZ

POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS

ET PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE

A CONSILIIS AVLAE ET IVSTITIAE

SVPREMAE CVRIAE PROVINCIALIS

VT ET

CONSISTORII LIPSIENSIS

ASSESSORI

CIVITATIS PATRIAE

SENATORI

RELIQVA

INSIGNI

PATRIAE ORNAMENTO

CIVIVM MVSARVM

DELICIO

HAS

STVDIORVM SVORVM

PRIMITIAS


QVA DECET ANIMI RELIGIONE

SACRAS ESSE

CVPIT

AVCTOR

IOANNES BENEDICTVS CARPZOV



ollemnis patriae meae voluptas!
Vrbis delicium, fauorque, noſtrae!
TE, *plauſus populi! decus* TVORVM!
Gentis praeſidium meae ſupremum!
Et, dulcem requiem mei laboris,
Et, TE, *ſuffugium, fritinnienti,*
Hiſcit iam, ſtipula, tener phaleucus.
Non inflat lituos potentiores,
Non fuſa nimium ſuperbit aura,
Nec halat meritis par atque carmen,
Nec lauto celebrat, canitque, verſu.
Expers deliciis, ſale, et decore,
Nec nimis, fateor, placet ſibique,
Sed verſus patitur leues vocari,
Quot ſunt, quot quot erunt, fuere quot quot,
Et verſus miſeros, nec elegantes,
Ac, ingens ſpecimen leuis iuuentae,
Rudis ac animi notam ſupinam.
TV *ſed ſuppetias meo labori,*
OERTELI, *poteris, ſcio, venire,*
Ridens ex oculis TVIS *amoene,*
Nec ſpernens penitus meam Quietem,
Nec temnens nimium meos phaleucos,
Nec hunc abiiciens leuem libellum,
Meas primitias, measque noctes.

Fit, quando TIBI *forſitan negatur,*
Intento grauibus ſubinde rebus,
Plenorum cumulus ſatis laborum,
Queis, magno pariter fauore, nomen
Praeclarum quoque nactus es per vrbem.
Et, ſit, quando Deus facit quietem,
Nec totum vigiles TVI *requirunt*
Curae, ſed vacuus vacas haberi.
Vt tum, depoſita ſeueritate,
Quo Phoebus vocat, et nouem ſorores,
Iſtis otia paullulum Camenis
Largiri, fateor, queas, miſellis.
Quis prior mihi, quisue tum ſecundus?

Forſan tempus erit, dies quieta,
Qua gaudet TVI *dulce Tuſculanum,*
Et vireta TIBI *quieta rident,*
Qua ſurgit noua ſpes, recensque Muſis
Omen, nec redeunt moleſtiores,
Quas res publica dat, trahuntque longe
A coeptis numeris, acresque, curae.
Quo ſit, vt leniens, benignus, iſtas,
Laxataque graui ſeueritate,
Concedas veniam meis Camenis,
Sacratamque TIBI *legas Quietem.*
Tum quis eſt prior, aut mihi ſecundus?

Sed, vobis bene ſit, dies beatae,
Et nunc, et, quoties datur reuerti!
Sed, vobis bene ſit, mei libelli,
Et nunc, et, quoties videbo vultus
Veſtros! ſed, bene ſit ſuo parenti,
Et nunc, et, quoties ſuum laborem
Cernit! OERTELIO *fauente vobis.*
Hoc demum titulos honoris adfert!
Hoc modis magis omnibus decorum eſt!
Quid me laetius eſt, beatiusue?

Hic, quo Dresda ſatis, ſatisque, gaudet,
Hic, quem Lipſia, nutriens amore,
Miratur, tenere colit, canitque,
Hic, quem Pindus amat, decusque Pindi,
Qui Pindi reſidet iugis Apollo,
Cum ſua ſubole, vocant, decora,
Quem, porro, decorant ſuis coronis,
Et ſuaues, calathis, flores, Camenae
Ridentes, nitidis, odore, ſpargunt,
Quemque AVGVSTVS *habet, Pater, Deusque*
Noſter, quem colimus, piisque votis
Immortale cui precamur aeuum!
Hic, hic, ſi facie, meum, fauente,
Qui ſub auſpiciis ſuis, libellum,
Prodit, adſpiciet, ſatis videbor

Felix, et, nimium ſatis beatus.
Tum quis eſt prior, aut mihi ſecundus?
Quis me laetior eſt, beatiorue?

Tandem, quod alii TIBI *tributum*
Soluunt, ſi minime TVVM *fauorem*
Rogaret, meritis TVIS *adaequum,*
Vna cauſſa mihi manet ſat ingens.
Ignis namque meos ſacer per artus
Me TVI *ſtimulat, coquens perenne,*
Lex et ſcripta ſedens neceſſitatis,
Hunc tu reſpice, clamat, vrget, inſtat,
Hunc tu reſpice, duplicatque voces.
Eſt ſpes magna TIBI, *decusque grande,*
Grande praeſidium, piumque numen
Gentis, OERTELIVS, *tuae, tuaeque ſtirpis.*
Quater ſic iterat, quaterque rurſus,
Hunc tu reſpice, conſecra Quietem,
Prorſus teque, tuam. Benignus inde,
Hoc nunc, OERTELI, *ſume, cum libello,*
Totum meque, TIBI *ſatis ſereno.*

Quis mihi prior eſt, ſecundus aut quis?
Aut, quis laetior eſt, beatiorue?



DE QVIETE DEI DISSERTATIO

PROOEMIVM

Totius dissertationis ratio, et argumentum percensetur.



ANIMVM saepiuscule cogitatio subiit, qui fiat, quo crebrior est, nobisque familiarior verborum vsus, vt omnes adeo hominum ordines peruagatum illud vitium sit, tamque altas vbique egerit radices, quod sine vllo sensu, et sine vi, vocabulo subiecta, ita illud proferamus, vt, inanem praeterquam sonum, nihil omnino vmquam cogitemus. Cuius quidem rei, ab vna parte, si quis praecipuam educationi, et diuturnae, audiendi vocabuli, adhibendique, consuetudini, vim tribuat, ab altera autem, supimae, in formandis rerum imaginibus, oscitantiae hanc labem adscribat, tantum abest, vt male is iudicauerit, vt potius, si vmquam, hac certe in re, verissimum, limpidumque

in promanandis erroribus fontem feliciſſime aperuerit. Vt enim taceam, plerumque per ſe difficillimum eſſe, alios recte intelligere, cum ob confuſam nimis, et obſcuram, falſam etiam rerum cognitionem, ſumma ſit in loquendo hominum inconſtantia. miſerum certe eſt, et fruſtra, verba, nil proficientia, perdimus, quando, vt ſonum, ideamque ſono ſubiectam, diſcernamus, et obuerſantem cogitationi imaginem, prolato quocumque vocabulo, internoſcamus, operam omnino nullam adhibemus. Quot quaeſo, vel ex doctis ceteroquin, ſatisque acutis hominibus ſunt, quibus ipſa haec rerum natura notionem mentitur, quibus ſimplicitas inuoluta prorſus ſuprema ignorantia eſt, quibusque deceptrix notio, et inanis omni a parte ſonus, quae egregie ſibi capere et intelligere videntur, iſta omnia denſiſſime tamen obnubilant? Loquuntur multi de virtute, felicitatem multi ad caelum vſque laudibus extollunt, ex quibus vero, ſi quaeras, quo ſenſu capiant virtutis vocabulum, qua perueniri via ad felicitatem poſſit, ſolo illos, tamquam cum in Elyſio Aeneas Didonem adlocutus eſſet, videbis oculos fixos tenentes,

Nec magis incepto vultum ſermone mouentes,
Quam ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes.

Fatum, quid ſit? ad raucedinem vſque multi clamitarunt. fuere quippe, qui pro inteſtina quadam rerum omnium in mundo, et abſoluta neceſſitate, iſtud vocabulum ſumſerunt, in quo certe minime illi quidem a veritate aberrauere, modo cogitaſſent apud ſe, et perpendiſſent cum animo, ampliorem etiam, anguſtioremque ſententiam ſubiici verbo huic poſſe, necque, qui de fato loquuntur, vno omnes eodemque modo loqui, eamdemque omnes eidem ſignificationem tribuere. Ne ipſis quidem, quod mireris, quorum plena ſunt ſcripta, et referta, cumulataque cum fato omnia, veteribus, quid tandem, quibusque in rebus ſitum illud ſit, expeditum ſatis et perſpectum fuit. mox enim fatis Iouem ſubiecerunt, mox inane hoc eſſe, menteque caſſum nomen contenderunt, mox naturam inmobilem, infinitam, neceſſariam, hoc

voca-

vocabulo complexi ſunt, mox, nexum cauſſarum, fatum adpellauerunt, et quae ſunt reliqua, quae certe, quam mirandum fuerit fati huius inter philoſophos fatum, ſatis ſuperque loquuntur [a]. Vlterius ego progredior: tribui ſcilicet rebus, vel per diuerſa illarum adiuncta, vel per naturam etiam, omnibus, et motus, et quies poſſunt. Statim ab incunabulis, et a tenerrima inde aetate, multa de motu, corporis noſtri, verbi cauſſa, rotae, horologii, aliarumque rerum, audiuimus, mox, vbi mutatam illarum conditionem, ſtatumque, ita cognouimus, vt non amplius eae moueri nobis viſae ſint, tum quietis nomen ipſis tribuere iuſſi ſumus, ita tamen hac ratione ab vnguiculis teneris inſtituti, vt aut nullam plane motui et quieti ideam tribuere, aut certe eiusmodi potuerimus, quae longe aliam notionem ſubgerebat, atque verborum vis requirere eamdem, poſtulareque videbatur. Motum eſſe, adfectionem corporis naturalis longe nobiliſſimam, ſuus quemque ſenſus et conſcientia edocet: immo vero in ipſa adeo naturae definitione peripatetici olim, quam per principium cauſſamque motus efferebant, difficilem omnino explicatu propter multiplicem motuum varietatem, eſſentiam motus collocabant. Magna autem fuit ſemper in declaranda quietis notione, et formanda eiusdem imagine, quies et ſopor altus, cum iſta tam late tamen vndique vagetur, partesque ſibi in natura rerum, ſed iure meritoque, non contemnendas vindicet adeo, vt, quaenam vero eximere ſeſe, ſubtrahereque late regnantis imperio poſſit, nulla pene inueniatur. Si enim a mathematicis, diuinis hominibus, receſſeris, qui, ſicuti in pleriſque rebus, pro naturali, quo pollent, acumine et iudicio, et hic quieti ſuum in ea, qua motum exponunt, ſcientia, locum reliquerunt, quod praeterea ferre aetatem poſſit, lucemque non tremere, nihil

a) Tres potiſſimum, de rerum omnium neceſſitate et fato, mathematico, ſiue ſidereo. fato, cui et ſupremum numen ſubiicitur. et Democritico illo, ſententias, collegit inmortalis doctrina vir RADVLPH. CVDWORTHVS *in ſyſtem. intellect. Cap. I. §. 1. 2. 3. ſeq.* quem niſi quis, et IO. LAVR. MOSHEMIVM, interpretem, euoluerit, nae is iratas ſibi et muſas habet, et omnem eruditionem!

vmquam, et ſi vel maxime, vt Ceres quaereres Proſerpinam, inuenies. Iam vero, ſi propriam rei cuiusdam locutionem non intelligis, ſi, quando nuda tibi facies et laeuis exponitur, non excitat tamen ſui imaginem, cogita, quid in figurata tandem fiet, et inproprie loquendi ratione, et quomodo inuolutam nimis, inplicatamque formam conſpicere, vel admirari poſſis? Quietis, vbi de illis non potes rebus ideam tibi diſtinctam concipere, quae in ſenſus, tamquam per ianuas, incurrunt, quando igitur in eiusmodi rebus, quae mente tantum, cogitationeque comprehenduntur, formanda quietis notio eſt, quid, quaeſo, tum facies? At, quies corporis, ſomnus eſt, animi, tranquillitas. Bene quidem, et facete! modo diſtinctam conſequi hac finitione tua, qua, quod pace tua dixero, in orbem redis, notionem, vlla vmquam ratione poſſes! quod enim priori definitione explicandum erat, illud ipſum vocabulum, nonne vides, in tua definitione obſcure ſatis, et vitioſe occurrere? Quies, ſi in Deum transferatur, quem eſſe, ratiociniis demum colligimus, ſenſationibus noſtris haud ita percipimus, quid de hac ſtatueres? hic te, quis non intelligit, plane e mundo, ignorata quietis natura, cum prouidentia omnem omnino vimque, naturamque diuinam tollere? Auderesne, quaero ex te, ſpondere, ne ſententiam, indignam Deo, forſitan foueas, ſi non ita informatam animo tuo notionem habes, vt, quo potiſſimum modo conſiſtere illa cum reliquis ſummi numinis perfectionibus poſſit, adcurate ſatis teneas? Aut torporem, languidumque ſomnum Deo adſcribes, aut otioſum mundi ſpectatorem eumdem putabis, certe eiusmodi rem adferes, quae Dei loco eſſe numquam poterit. At enim vero, dicat aliquis, hanc eſſe, in quidquid eſt, ſupremi rerum arbitri iniuriam, quietem certe Deo adſcribere, quid aliud eſt, quam multa loquendo nihil dicere? Ex eorum numero vocabulorum, quietem eſſe, quae, cum in re aliquid poſitum ex notatione ſignificent, abſentiam potius alicuius rei indicare, vacuitatemque ab eadem viderentur. accedere et id, non poſſe plane vera et vnica definitione vocabulum hocce comprehendi, cum ſit com-

mune illud πρὸς ἓν[b]. Contortula, fateor, et straminea plane argumenta, quibus nil, praeter omnia, desunt! Atque si de cognoscenda vocabuli origine, et non de re, verbo isthoc insignita, disputaremus. atque si, quae sunt communia πρὸς ἓν, vocabula, non eminentiori gradu tribui Deo, hominibus vero, rebusque aliis creatis, inferiori longe, possent. Quod, qui negauerit, vereor, is ne aut quid sibi tandem velit, nesciat, aut magni, subtilisque, si diis placet, disputatoris laudem adfectet. Qua fruatur sane, per me licet, tam enucleate disputandi felicitate.

DVO autem hodie in primis sunt litteratorum hominum genera, quorum quique, dici non potest, quam infestis animis, spumanteque spiritu et anhelante, alter in alterius perniciem calamum stringere, sermone identidem lacessere, et, si fieri posset, modo abstulisset iam plane e medio vnus alterum, honori sibi, gloriaeque ducerent. Praeterea hinc se, suamque caussam, quaeuis pars, consensu multorum virorum, summorumque hominum auctoritatibus, veluti de fabula graculus, exornat, multisque, hinc illinc desumtis, rationibus, contra alteram vna armare sibi videtur. Vnam quis nescit philologorum esse, philosophorum alteram? Grauis annis litterator, multo iam fractus membra labore, fortunatum se, suumque genus, praedicat, qui omnem omnino tollere e medio barbariem, et Saturni tantum non, et aurea saecula inducere solus possit. At ille alter, philosophia potior est, ait, vitae haec est dux, virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum. qua quid datum est optabilius, praestantiusque mor-

b) Commune πρὸς ἓν vocabulum, cuius in scholasticorum, veterumque libellis philosophicis mentio frequenter iniicitur, est, quando verbum tribui duabus rebus potest, ita tamen, vt competat huic primario, illi vero secundo loco adtribuatur, vt eminentiore gradu Deo adscribi, longeque inferiore hominibus queat, quorsum referunt tantum non omnia Dei adtributa, sapientiam, iustitiam, vitam, scientiam et intelligentiam, potentiam, et quid non? neque ipsum *ens* dicunt exemtum ab his limitibus esse posse. Hinc ne definiri quidem, quamuis describi, putant, eiusmodi voces posse, cum, circa quam rem versantur, eamdem, existimant, constitui satis nequire, ne ipso quidem *quietis* vocabulo excepto.

mortalium generi deorum consensu est? generose exclamat. Quid enim? concurritur. necque vllum fretum, vt verba CICERONIS mea faciam, vllusque Euripus tot motus, tantas, tamque varias habet agitationes fluctuum, quantas perturbationes et quantos aestus habet eruditorum ratio. Hic sine vlla delectatione lectionem premit, ille autem quoduis, necque distincte necque distribute scriptum vrget, quisque vero eorum multa cum pertinacia et iracundia refellere alterum paratus est. Sic se res habet prorsus. qui in antiquitatibus renouandis desudant, illi vero, vt mos est hodie, furfurei homines! corticei litteratores! ex sexcentis et amplius indicibus, quos vltra non sapiunt, en! infinita auctorum loca constipant, quae sedulo collecta, vides, ex regularum ignoratione logicarum, et ex defectu ordinis, quem sibi repraesentare apud animum non possunt, ita confuse et perplexe inter se adducta, vt vix nodum Gordium tot plicarum, tricarumque habuisse crediderim, quot repugnantias contineat eiusmodi, multorum tamen saepius annorum, infelicissimus labor. Ab altera parte, aliud eorum genus est, qui se philosophos adpellari volunt, quorum sunt hodie innumeri praesto libelli academici, quos non contemno equidem, quippe quos numquam legere possum, cum omnis mihi vultus ita inficetam, ita incultam, ac bene barbaram formam obiicit, vt verendum mihi sit, vt, si perlegerem eiusmodi Thummigianum scriptum, perniciosa olim malorum serie laboraturus sim. Cur enim legendi sint, nisi ipsi inter se, qui ita et eleganter cogitant et scribunt, et qui ad summam ita barbariei absolutionem scripta sua conformant, parum equidem intelligo. Mihi autem ita videtur, quidquid litteris mandetur, id commendari omnium eruditorum lectioni decere, necque vero, si minus ego consequi illud possum, idcirco minus ita faciendum esse sentio. Hinc vtrique parti satisfacturus, scribendo de quiete Dei, operae esse pretium putaui, non metaphysicis penitus speculationibus inhaerere, ne tamquam abstrusiora et minus elegantia dicta, delicatuli homunciones, obscenis tantum vsibus opellam meam destinent,

ſtinent, ſed, quod medici in peruoluendis auro argentoque pilulis faciunt, eodem etiam modo, variis, ex hiſtoria antiqua deſumtis gemmis illam diſtinguere, pannisque, late qui ſplendeant, purpureis, cento ne vilis, hominibus, verba aucupantibus, videatur, quo demum cumque modo poſſim, exornare. Vt taceam, vetuſtis plus fauere inuidiam mordacem, quam bonis praeſentibus. Hinc inſeruiendum, vel ex hac parte, genio ſaeculi eſſe, cum aliis exiſtimo, et ita animum inducendum, vt, quid prudentiores deſiderare poſſint, colluuiem enim reliquam, et faecem, cuius foeta feraxque nimis aetas eſt iſta, nullus moror, ſapientiores, inquam, non habeant. Quapropter vulgarem primum quietis notionem intuendo, aedes et templa Deae Quietis intrabo, et craſſiores de quiete, ſomnoque Deorum opiniones veterum oſtendam. Quas vero, ſubtiliores paullo, et philoſophorum, de quiete Dei, notiones, excipient, aliamque prorſus materiei faciem ſubminiſtrabunt. Tandem vero etiam, quod caput rei eſt, ſuccedet vera, ex phyſicis partim, partim ex his philoſophiae partibus, quae vſum vitae docent, quietis finitio, Deoque, vt vere tribui, et quonam ſenſu, poſſit, demonſtrabit. Vltimam ſectionem philoſophi ſibi arrogabunt, priores duae vel mediocriter doctum ſubponunt. Ex quibus, ſi quis alteram perlegerit, habebit tamen ſemper, quo ſe vel ex hoc nomine eleganter in me promeritum praebuerit. vtramque autem, quod ſi quis ſit, qui percucurrerit, huius certe fauorem, in re, cui per aetatem meam forſitan quaedam deſunt, tantum abeſt, vt non agniturus ſim, vt potius, qui haud ingratus eſſe videar, omnem in eo operam lubens collocauero.



SECTIO

* *

SECTIO. I

DE. QVIETE. PACE. ET. SOMNO. DEORVM

§. I

Quies, otium laude dignum. ſomnus et quies Iouis, Neptuni, Saturni, Veſtae, Panis, et aliorum Deorum. HESIODVS *explicatus. quid ſit ἄυλις, et ἄυλιν ἄγειν?*



ANC vulgo cum quiete notionem coniungunt, quae ceſſatio ſit, et vacatio a negotiis, quando ſcilicet labore aliquis finito, otio ſuo iam perfruitur, necque amplius in eo, quod fecerat ante, pergit. Requirit illud ſane, ſuoque ſibi iure vindicat vitae generum nexus, vt excipiant negotia otium, et, vt ſequatur laborem, quies. Non eſt autem inertia quaedam aut deſidia hoc otii, quietisque vocabulo ſubintelligenda, ſed, in otio eſſe, ipſi veteres, fere tantum non ſemper, pro ceſſatione a conſueta vitae ratione, cum acceperint, in bonam magis, medium iſtud vocabulum, quam malam partem, vt capi debeat, ſignificarunt. Ita paſſim CICERO, defenſionum laboribus fatigatus, a nemine poſſe otium ſuum reprehendi, adſerit, cum ſemet ipſum in eo hebeſcere et languere nolit, ſed, vt plurimis etiam proſit, cum maxime enitatur[c]. Collaudat valde, et

c) *Diſputat. Tuſculan. lib. I. c. 1.* et paſſim otium ſuum laudat. in primis autem circa initium ſtatim *libri I. de oratore*, qui locus omnino eſt conferendus. In libro *de officiis* etiam, memini me legere, *quo in ſtudio hominum ingenioſiſſimorum, otioſiſſimorum totas aetates videmus eſſe contritas.* et in *Or. de lege agrar. ad populum, I. contr. Rull. cap. 4.* *Ita iucundum eſt* otium, ait, *vt et vos, et maiores veſtri, et fortiſſimus quisque vir, maximos labores ſuſcipiendos putet, vt aliquando in* otio *poſſit eſſe, praeſertim in imperio ac dignitate.* IDEM *de oratore lib III. cap. 15.* quietem et otium *ſecuti Pythagoras, Democritus, Anaxagoras*, ſcribit, *a regendis ciuitatibus totos ſe ad cognitionem rerum transtulerunt.* Coniungere igitur CICERONEM, patet, otium cum ſtudiis litterarum, et cum labore. cuiusmodi loca, ſed ab his diuerſa, LAEVIN. TORRENTIVS item habet *in comm. ad* HORAT. *lib. II. od. 16.*

et praedicat otium, in Scipione, et Laelio, in Q. Mucio Scaeuola, augure, VALERIVS MAXIMVS [d]. Otium, et ſeceſſum, ſapientis ſui, SENECA [e] defendit, cum Epicureorum, Stoicorumque otia conſiderat. Danda enim animis eſt, corporique humano, per naturam ſuam, recreatio, vt alacriores inde, confirmatioresque, ad omiſſa paullo negotia accedere, maiorique cum ſucceſſu inchoata denuo ſuſcipere queamus. At enim vero, quod ſi quis ob inertiam aliquam, et ob deſidiam languidam, in otio eſt, hoc ſane turpe eſt, hoc vitioſum eſt, hoc deteſtabile! Quo magis mirandum, eo progredi antiquorum hominum ſtultitiam potuiſſe, vt diis ſuis eiusmodi quietem tribuere, ſomnumque, et deſidiam, potuerint, et a quouis negotio vacuitatem, vt dicere capitales iſti dii, cum muſca apud PHAEDRVM [f], potuiſſent, *laboro nihil, atque optimis rebus fruor.* Vt enim taceam, ipſum deorum, hominumque patrem gauiſum quiete, ſomnoque, perpetuo fuiſſe, et increpaſſe ſaepius auroram, quae properet nimium, ſeque ex pinguibus, glabribusque, puellulae ſuae amplexibus diuelleret [g], ne quis putet, hoc factum tantum fuiſſe, quando amoribus ſemet dare voluerit proteruus Iupiter, patet ex HOMERO, et Iouem, et ceteros deos, cubitum iuiſſe quo-

d) *Lib. VIII. cap. 8. n. 1. 2.* immo vero et Socratem adducit, ac Achillem Homericum.

e) *Epiſtolar. LVI. p. 194. ed.* IO. FR. GRONOVII. *LXVIII, p. 248.* conf. IVSTI LIPSII *manuduct. ad philoſ. Stoic. lib. III. diſſ. X. p. 166. ſeq.*

f) *Lib. III. fab. XXIII. v. 8.*

g) Ita enim OVIDIVS *Amor. lib. I. eleg. XIII. v. 45. Ipſe deum genitor, ne te tam ſaepe videret, commiſit noctes in ſua vota duas.* quod et de Luna, dea, paullo ante dixerat. Et apud LVCIANVM in *dialog. Mercurii et Solis p. 203. edit.* IO. GEORG. GRAEVII Iupiter iubet, quo minus parua ipſi quies, paruusque ſomnus ſit, ne ſol per diem luceat, porro, vt in craſtinum, diemque perendinum, intus maneat, necque equos forſan, currumque agitet. hinc indignabundus ſol, ad Mercurium, longe aliter fuiſſe temporibus Saturni, queritur : ταῦτα δ', ὦν, ait, ὦ Ἑρμῆ, οὐκ ἐγίνετο ἐπὶ τοῦ Κρόνου· (αὐτοὶ γὰρ ἡμεῖς ἐσμὲν·) οὐδ' ἀπόκοιτος ἐκεῖνος περὶ τῆς Ῥέας ἦν. οὐδ' ἀπολιπὼν ἂν τὸν οὐρανὸν ἐν Θήβαις ἐκοιμᾶτο, ἀλλὰ ἡμέρα μὲν ἦν ἡ ἡμέρα, νὺξ δὲ κατὰ μέτρον τὸ αὐτῆς, ἀνάλογον ταῖς ὥραις. ξένον δὲ, ἢ παρηλλαγμένον, οὐδέν· οὐδ' ἂν ἐκοινώνησέ ποτε ἐκεῖνος θνητῇ γυναικί· νῦν δὲ δυστήνου γυναίου ἕνεκα, χρὴ ἀνεστράφθαι τὰ πάντα. cetera.

quotidie, ſomnumque cepiſſe. ita enim ſub finem Iliad. A. ait[h]:

Ζεὺς δὲ πρὸς ὃν λέχος ἤϊ᾽ Ὀλύμπιος ἀϛεροπητὴς,
Ἔνθα πάρος κοιμᾶθ᾽, ὅτε μιν γλυκὺς ὕπνος ἱκάνοι,
Ἔνθα κάθευδ᾽ ἀναβάς· παρὰ δὲ, χρυσόθρονος Ἥρη.

et, quantumuis quidem capere quietem, cum fatis ita haud placuerit, miſellus ille Iupiter, aeuum hic in tenebris exigendo, draconis inſtar, qui in vltimis ſpeluncis theſauros abditos cuſtodiret, minime hac vice potuerit, animo enim peruoluens, quo cuſtodire modo Achillem, et perdere Graecorum naues poſſet, *Δία δ᾽ οὐκ ἔχε νήδυμος ὕπνος.* reliqui tamen dii, hoc ſibi datum negotii eſſe, ſapienter credebant, qui ſtertere egregie, et per totam noctem dormire deberent[i]:

Ἄλλοι μέν ῥα Θεόι τε καὶ ἀνέρες ἱπποκορυϛαὶ
Εὗδον παννύχιοι·

LVCIANVS[k] etiam, quando a Ioue, in aquilam conuerſo, Ganymedem raptum, cum eodem de coaetaneis, inducit, et colluſoribus, de lacte etiam, et paſcuis, aliisque rebus magni momenti, deumque decentibus, loquentem, hoc tandem ipſi tribuit, e Ioue, vt quaerat Ganymedes: *κοιμήσομαι δὲ ποῦ τῆς νυκτός; ἢ μετὰ, τοῦ ἡλικιώτου ἔρωτος;* cui reſpondebat Iupiter, *οὐκ. ἀλλὰ διὰ τοῦτό σε ἀνήρπασα, ὡς ἅμα καθεύδοιμεν,* et multa adhuc de dulcedine iſtius ſomni, cum pulcer ſit Ganymedes, ſuauiusque et facilius ad ſomnum capiendum, incitamentum praebeat, non ſine animi Iouis propenſione, loquitur. Et alio loco HOMERVS[l] a Iunone fingit Somnum adiri, ipſique perſuaderi, vt Iouem tantiſper ſopiat, quae poſſit Graecis aliquantulum auxiliari, qui quidem, quamuis difficilem paullo in-

h) *Verſ. 609. ſeq. p. 47. edit.* IOS. BARNES. adiecit *Scholiaſtes* haec verba: *ὁ δὲ Ζεὺς, φησὶν, εἰς τὴν ἰδίαν κόιτην παρεγένετο,* non ſecus, ac ſtatim LVCIANVS de Saturno dixerat: *ὀυδ᾽ Κρόνος ἀπόκοιτος περὶ τῆς Ῥέας ἦν, ȣδ᾽ ἀπολιπὸν ἂν τὸν ὀυρανὸν ἐν Θήβαις ἐκοιμᾶτο.*

i) Iliad. B. *verſ. 1. 2. p. 48. ed. cit.*

k) *Dialog. IIII. Διὸς καὶ Γανυμήδους p. 191. ed.* GRAEVII.

l) *Iliad. Ξ, verſ. 244.*

inceptu rem ab initio dixerat, quippe qui alium ex diis, facilius se soporare posse, fuerat professus,

Ἄλλον μέν κεν, dicebat, ἔγωγε θεῶν αἰειγενετάων
Ῥεῖα κατευνήσαιμι, καὶ ἂν ποταμοῖο ῥέεθρα
Ὠκεανοῦ, ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται·
Ζηνὸς δ' οὐκ ἂν ἔγωγε Κρονίονος ἆσσον ἱκοίμην,
Οὐδὲ κατευνήσαιμ', ὅτε μὴ αὐτός γε κελεύοι.

tandem vero, post varias promissiones, vt acciperet nempe vnam lepidissimarum Gratiarum in matrimonium[m], post sacramentum etiam, per inuiolabilem Stygis aquam[n], res omnis eo redibat, vt quietissime dormiret diespiter, somno, amoreque domitus[o]

Ὣς ὁ μὲν ἀτρέμας εὗδε πατὴρ ἀνὰ γαργάρῳ ἄκρῳ
Ὕπνῳ καὶ Φιλότητι δαμεὶς· ἔχε δ' ἀγκὰς ἄκοιτιν.

HESIODVS*, quando de aureo Saturni saeculo loquitur, hominesque, diis tum similes vixisse, testatur, θνῆσκον δ', ait, ὡς ὕπνῳ δεδμημένοι, quibus ego vltimis verbis, deos intelligo, et ita vertendum puto: *homines isti*, qui, vt dixerat ante, ὥς τε θεοὶ δ' ἔζωον, ἀκηδέα θυμὸν ἔχοντες, *moriebantur tam placide, tamque quiete, atque si dii somno obruuntur.* Maiae ceterum, Iouisque filius, apud LVCIANVM[p], cum reliqui dii omnes tranquille admodum dormire, et tuto, possint, se vnum, queritur, ob innumera, quibus premeretur, negotia, capere quietem non posse. verba haec sunt ad matrem suam: τὸ δὲ πάντων δεινότατον, ὅτι μηδὲ νυκτὸς καθεύδω μόνος τῶν ἄλλων, ἀλλὰ δεῖ με καὶ τότε τῷ Πλούτωνι ψυχαγωγεῖν, καὶ νεκροπομπὸν εἶναι, καὶ παρεστάναι τῷ δικαστηρίῳ. sed magis, infra paullo, quando prius de quiete deorum, meridiana potissimum, sermonem fecerimus, ad §. nempe IIII. hunc locum explicabimus, vbi et illum HESIODI[q], μακάρων τοι νύκτες ἔασσιν, propius aliquantulum considerabimus,

m) *Vers. 267.* n) *Vers. 271. 274. 275. reliq.*
o) *Vers. 352. 353.* * *Oper. et dies. vers. 117.*
p) *In dialog.* Ἑρμοῦ καὶ Μαίας p. 232. seq.
q) Ἔργων καὶ ἡμέρων *vers. 730. p. 304. ed.* IO. CLERICI

mus, et videbimus, qua ratione Ascraeus caelum ideo genitum adserat, vt quietis deorum ordinibus sedes ea sit tuta semper [r], ὄφρ᾽ εἴη μακάρεσσι θεοῖς ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί. Sed alia adhuc suppetunt loca, quae confirmare opinionem meam videntur. ARISTOPHANES [s] cum Trygaeo Mercurium loquentem inducit, a quo, caussam is cum quaereret, quae inpulisset deos, vt sedes pristinas mutauissent? quietis caussa id, respondit deorum camillus, et tranquillitatis, factum fuisse, ne Graeci nimium eosdem precibus suis enecarent, et obtunderent,

Αὐτοὶ δ᾽ ἀνῳκίσανθ᾽ ὅπως ἀνωτάτω,
Ἵνα μὴ βλέποιεν μαχομένους ὑμᾶς ἔτι,
Μὴ δ᾽ ἀντιβολούντων μηδὲν αἰσθανοίατο.

experrecturi enim forsitan boni dii essent conuicio et clamoribus bellantium, quod tamen e re illorum non videbatur, quippe qui libenter, vt idem ARISTOPHANES [t] loquitur, ὑπὸ ταῖς νεφέλαισιν ἐγκεκρυμμένοι essent. *Neptunum* dormiuisse nonnumquam, semenque adeo genitale in hoc somno emisisse, ex quo equus deinde conceptus fuit, nota res est, et PHILOSTRATVS [α], Thessaliae imaginem adducens, aperte profitetur. Quid de *Saturno* dicam? cuius enim prudentiam, sollertiamque, antiquissimae gentes, cum indicare, curamque de mortalium genere, suo quasi signo, prodere volebant, sicut a principe suo HOMERVS, vt πρόσσω καὶ ὀπίσω oculatus sit, requirit, ita et hunc quattuor oculis insigniter ornauere. EVSEBIVS [β] tamen, *duos in anterioribus, oculos, duos, in posterioribus corporis partibus, vicissim contractos, quieuisse subinde*, satis confirmat. OVIDIVS [γ], vt et illustrem locum ex latinis addam, postquam epu-

r) Θεογονίας *vers.* 128. quorsum et alia plurima loca apud Hesiodum spectant, v. c. *vers.* 101. μάκαράς τε θεοὺς οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν, et alio loco ὀλύμπια δώματ᾽ ἔχουσοι. et apud HOMERVM *Odyss. X. vers.* 46. Οὐτε θεοὺς δείσαντες οἳ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχοισιν. s) *In Irene, vers.* 206. *seq. p.* 341. *edit.* LVD. KVSTERI.
t) *In auibus, vers.* 1607. *p.* 433.
α) *Iconum libr. II. cap. XIIII. p.* 831. *ed.* GOTTFR. OLEARII.
β) *Lib. I. cap. VII. de theologia Phoenicum.* γ) *Fastor. lib. I. vers.* 331.

epulas deorum narrauerat, et quomodo mero ſe ingurgitauerant caeleſtia numina, *hi ludunt*, ait, *hos ſomnus habet.* et paullo poſt, elegantiſſime ita canit: *Veſta iacet*, PLACIDAMQVE *capit ſecura* QVIETEM. Laudatur etiam τὸ λέχος γαμήλιον τοῦ Διός apud paullo ante laudatum Comicum [u], et plura alia, quae huc pertinent, adducuntur. Stabulum illud, aut antrum potius, dei Arcadici, vbi ille a venatione redux, laſſus ab opere, et proſtratus, requieſcit, notum eſt. vnde chorus apud EVRIPIDEM [x] Πᾶν, ait, τοῖς σοῖς ἐν αντροις, et apud THEOCRITVM [z] cubile iſtud, tamquam ποιμὴν ἄγραυλος, ſubit deus, ἀπ᾽ ἄγρας τανίκα κεκμακὼς ἀμπάυεται. quod enim de agricola, poſt diuturnum opus quieſcente, dicitur apud NICANDRVM [a], illud et egregie paſtorum, ſibi, venatorumque deus, arrogat, nocturnorum glirium inſtar, ſtertens, ſi quis vmquam, mirifice. Hinc eſt, quod et a PLVTARCHO dii, *ſegnes*, adpellentur, deorum-

u) *In auibus verſ. 1756. p. 437.*

x) *Ion. verſ. 501. ed.* BARNES.

z) *Idyllio A. verſ. 16. 17. p. 8. ed.* DAN. HEINSII.

a) *Theriacor. p. m. 4.* verba ita habent: Ἐι δὲ τὰ μὲν καμάτου ἐπιδέυεται, ἀγχὶ δὲ τοι νὺξ ΑΥΛΙΝ ἄγει, κόιτου δὲ λελάιεται ἔργου ἀνύσσας· ἄυλιν ἄγειν, *quietem ſuadere*, interpretes reddiderunt, cum proprie *antrum panis*, ἄυλις, apud CALLIMACHVM, *in hymno in Dianam verſ. 87. p. 66. edit.* THEOD. GRAEVII, vocetur: ἵκεο δ᾽ ἄυλιν Ἀρκαδικὴν ἐπὶ Πανός· quamuis, quibusdam HOMERI locis adductus, *ſtabulum* et *ouile*, GRAEVIVS, ἄυλιν, hoc loco transduxerit, hodie vero vel regiam, principisue domum, adpellari ita poſſe, ob vocabuli παραυλίζεσθαι rationem, ſtatuerit. melius tamen illuſtris EZECH. SPANHEMIVS *in obſeruat. in h. l. p. 187.* non ſtabulum hic, ſed verius dei Arcadici *antrum* denotare ἄυλιν, contra eumdem euicit, quem et nos ſequimur. Ceterum, negandum non eſt, ἄυλιν, *cubile* etiam ſignificare, *locum ad pernoctandum*, et, *ſub tentoriis habitationem*, ſicuti ad hunc HOMERI *Odyſſ. X, verſ. 144.* ἄγχι γὰρ αἰνῶς Ἀυλῆς καλὰ θύρετρα, καὶ ἀργαλέον σόμα λαύρης, adnotauit egregie EVSTATHIVS *p. 1934. edit. Rom.* ἄυλις, κόιτη, καὶ ἡ κατασκήνωσις ἐςιν. et diuus LVCAS eadem voce de paſtoribus in agris excubantibus, vſus, *cap. II, com. 8.* καὶ ποιμένες, ait, ἦσαν ἐν τῇ χώρᾳ τῇ ἀυτῇ ἀγραυλοῦντες, καὶ φυλάσσοντες φυλακὰς τῆς νυκτὸς ἐπὶ τὴν ποίμνην ἀυτῶν. immo vero, ipſum adeo Pana, Νόμιον quippe, deum φιλόγραυλον dici, SPANHEMIVS *l. c.* obſeruauit. Adeoque melius, latinus epigrammatum interpres, feciſſet, ſi in ANTHOLOG. *lib. VI. cap. XXIIII. ep. IIII.* πανὶ φιλογραύλῳ per *Pana* potius, *excubiarum in agris amantem*, quam, vt re ipſa fecit, *amantem ſtabuli*, reddidiſſet. conf. graece peritiſſimum, virumque magnae eruditionis IO. GEORG. GRAEVIVM *in lection.* HESIOD. *ad* ἔργ. *verſ. 732. p. 75.*

rumque noctes apud poetas tamquam eorum celebrentur [b], qui ad id vnice nati et facti essent, vt dormiant. *O noctes, caenaeque deum!* HORATIVS ait in satiris [c]. reliqua. Et hinc est itidem, quod vesperi solerent antiqui mortalium, τὰ κοιτᾶια ἐπισπένδειν τοῖς νυχίοις, Plutoni, nempe, Cereri, Proserpinae, Morpheo, Lemuribus, cum cetera farragine, vt euincere illud conatur Anglus doctissimus, IACOBVS WINDET [d].

§. II

Quies deorum meridiana. meridiei quies tributa. ANNA FABRI *emendata. somnus Panis circa meridiem. veterum, et in primis Pythagorae, Aegyptiorum, et Chaldaeorum opiniones de meridiatione deorum. sublimitas in tacendo. locus 3 Regum XVIII, 27. explicatus.* SEB. SCHMIDIVS *notatus. quies Solis circa meridiem. locus* POLLVCIS *adductus*

IN PRIMIS vero capere dii quietem existimabantur circa meridiem [e], vbi placidissimo potissimum somno membra diuina concedebant. Iam vero, cum propter ardorem solis, vt cum POLITIANO loquar, dies in medio taceat, mirificaque solitudo et tranquillitas montes, et pascua teneat, recubat enim Tityrus sub patulae fagi tegmine, et nil, nisi prospectat errantes greges, lassus a sole, membrisque prostratis. quoniam vitam degere deos, pristini mortalium, credebant, felicissimam, et a doloribus, molestiisque, quibus premeretur nostra dies, liberrimam [f], non melius consulere sibi arbitrabantur, atque si circa meri-

b) *In libr. de his, qui sero a numine puniuntur. Opp. Tom. II, edit. Francof. p. m.* 548. et ex EVRIPIDE adducit: Μέλλει· τὸ θεῖον δ᾽ ἐστὶ τοιοῦτον φύσει.

c) *Libro II, satir. VI, vers. 65.* ad quem tamen locum vide commentatores, et in primis TORRENTIVM.

d) In libro elegantissimo *de vita functorum statu ex Ebraeorum et Graecorum sententiis*, qui insertus est *Fasciculo IIII. Opusculor. Rotterodami edit. p. 38. circa fin.*

e) Proprie sumto hoc vocabulo, quando medium diem significat, non vero, vt abusiue VARRO apud NONIVM *lib. VI. cap. 26.* de media nocte accipit, dicens: *repente noctis circa meridiem.* in quo, ne quis, vt sollemne hodie eruditis nostris est, verba syllabasque, aucupetur, cauere mihi volui.

f) Ita enim propter ea dicuntur μακάρων γένος αἰὲν ἐόντων apud HESIODVM, et apud HOMERVM conuiuia deorum, omnesque voluptates videmus, quibus dii, tantum non, inmersi sunt.

meridiei silentium, somnum ipsis tribuerent, cui, quamdiu in superiori axe Phoebus versaretur, indulgere beatissime possent. Adtribuisse autem adulto diei, medioque, vbi nempe incaluisset, veteres, quietem, patet primario omnium, ex CALLIMACHO, Cyrenaeo, qui, quando Pallada describit cum Chariclone, nympha, lauantem, ait[g],

Ἵππω ἐπὶ κράνᾳ Ἑλικωνίδι καλὰ ῥεοίσᾳ
Λῶντο. μεσαμβρινὰ δ' εἶχ' ὄρος ἀσυχία.
Ἀμφότεραι λῶοντο, μεσαμβριναὶ δ' ἔσαν ὧραι,
Πολλὰ δ' ἀσυχία τῆνο κατεῖχεν ὄρος.

et egregie plane, adpositeque, consentit AVSONIVS[h],

Dicitur et medio quum sol stetit igneus orbe,
Ad commune fretum satiros, vitreasque sorores
Consortes celebrare choros, quum praebuit horas
Secretas hominum coetu flagrantior aestus.

elegantissimeque, vt solet, in hanc rem HORATIVS[i] itidem canit,

Iam Procyon furit,
Et stella vesani Leonis,
Sole dies referente siccos.
Iam pastor, vmbras, cum grege languido,
Riuumque, fessus quaerit, et horridi
Dumeta Syluani: caretque
Ripa vagis taciturna *ventis.*

A PLI-

g) *Hymno in lauacrum Pallad. vers. 71. seq. p. 146. ed.* THEOD. GRAEVII.

h) *Idyll. lib. X. vers. 178.*

i) *Carminum lib. III. Od. XXVIIII. lin. 18. seq. edit.* BENTLEII. Ripam poeta *taciturnam* vocat, scilicet, ita comparatam, *vt fontes lymphis obstrepere manantibus*, quo modo loquitur *epod. 2. vers. 27.* iam non possint, aut murmur gratum edere. Elegantissimum sane est sermonis latini adtributum, rebus inanimatis tribuere illarum rerum proprietates, quae sentiunt, vitaque sua haud destituuntur. cuius tamen rei facilitas tantum abest, vt insignis sit, vt nihil certe facilius, ad id, quod frigidum est in oratione, inopinantes ducat. diuini adeo Platonis exemplum LONGINVS *de sublimitate Sect. IIII. p. 20. ed.* ZACH. PEARCE adducit, qui *somnum* muris, humi iacentibus, adtribuerit, eosdemque, ne quis exsuscitet, auctor fuerit,

περὶ

a PLINIO etiam *meridiem* omnino *conticeſcere* dici, ANNA FABRI[k] exiſtimat, quam tamen, vt aut memoria lapſa fuerit, vereor, aut certe locum PLINII non recte adſpexerit, apes enim ad veſperam, vbi quietem capiunt, dicuntur hic, non ipſa vero meridies, conticeſcere[l]. Quam propter quietem igitur, meridiei conceſſam, ſomnum, diis ſuis, priſca gens mortalium tribuebat. vnde paſtor ille, apud THEOCRITVM, negat ſibi licere fiſtula canere, quia meridies eſſet, et Pan, deus ſuus, dormiret[m], Οὐ θέμις, ait, ὦ ποιμὰν, τὸ μεσαμβρινὸν, οὐ θέμις ἄμμιν

Συρίσδεν. τὸν πᾶνα δεδοίκαμες. ἦ γάρ ἀπ᾽ ἄγρας
Τανίκα κεκμακὼς ἀμπαύεται.

et quamuis illuſtris SPANHEMIVS epigrammata duo ex *Anthologia* producat, quae meridiani cantus, cantorisque in montibus, ac prope fontem, mentionem iniiciunt[n], ſalua tamen, miſſis

περὶ δὲ τειχῶν, ὦ Μέγιλλε, ἐγω ξυμφεροίμην ἂν τῇ Σπάρτῃ, καθεύδειν ἐᾷν ἐν τῇ γῇ κατακείμενα τὰ τείχη, καὶ μὴ ἐπανίσασθαι, quae verba PLATO habet in *lib. V. de legibus*, quaeque nil aliud, praeterquam nullos eſſe muros in ſua republica aedificandos, connotant, conf. FRANC. PORTI *comment in h. l.* LONGINI *p. 292. edit. cit.* quod tamen frigidiſſime dictum eſt. cum e contrario HORATII ripa, *taciturna* hanc propter rationem dici poſſit, quoniam, cum ſonum aquae fluuiae edant ſaepiuſcule, ſi deſinit iſte ſonus, non aliter nobis videtur, atque ſi taceat.

k) In animaduerſ. in loc. CALLIMACHI *lit. g) adductum.*

l) Verba PLINII *Hiſtor. natural. lib. XI, cap. X. Tom. 2. ed.* HARDVINI *p. 496.* haec ſunt de apibus : *cum adueſperaſcit, in alueo ſtrepunt minus ac minus, donec vna circumuolet eodem, quo excitauit, bombo, ceu* quietem *capere imperans: et hoc caſtrorum more, tunc repente omnes* conticeſcunt. confer tamen notam proxime ſequentem *e)*

m) Idyll. A. verſ. 15. ſeq. p. 8. 9. edit. DAN. HEINSII. *apud Hier. Comelinum. An. 1604.* verba ſunt caprarii, ad quae *ſcholiaſtes* graecus haec παραφράζει: Ὀυ θέμις, ὦ ποιμὰν) ὀυ πρέπον ἐστὶν ὦ ποιμὴν, κατὰ τὸ μέσον τῆς ἡμέρας τῇ σύριγγι χρῆσθαι. τὸν πᾶνα δεδοίκαμεν, ὄντως γὰρ πικρός ἐστιν· ἀντὶ τοῦ βαρὺς καὶ ὀργίλος· ἡνίκα ἀπὸ τῆς ἄγρας σχολάσας ἀναπαύεται, κεκοπιακὼς, ἐν αὐτῇ δηλονότι· eadem leguntur *in edit. Londinenſi*, quae prodiit An. 1729. ceterum, qui de voce μεσαμβρινὸν, Dorice pro μεσημερινὸν vel μεσαμέριον poſita, erudiri cupit, adeat SPANHEMIVM *in hymn. Pallad.* CALLIMACHI. *p. 600.* et ISAAC CASAVBONVM *in lection. Theocr. cap. 2. p. 243.* Sed DAN. HEINSIVM *in lection. Theocr. cap. 2. p. 296.* euoluat, qui, num δεδοίκαμες vel δεδοίκομες legendum ſit, ſcire geſtit, quam tamen vltimam lectionem HEINSIVS priori, nobis haud abnuentibus, quam longiſſime praefert.

n) Scilicet prior locus, qui paſtoris in meridie canentis, mentionem facit, legitur

ſis et aliis rationibus, THEOCRITI manet auctoritas, quippe qui ex inſtituto, et data opera, de paſtorum ſtudiis exponens, ambigere nosmet, de opinionis huius veritate, omnino vetat. vt taceam, fateri itidem SPANHEMIVM, adpoſite prorſus, a DACERIA eruditiſſima hunc locum productum eſſe, et hinc innuere clanculum, iſtam adeo peruagatam opinionem ab epigrammatis ſcriptore minime quidem eſſe obſeruatam [o]. licet vltro largiar, antiquiſſimos etiam, tantum abeſſe, vt ſibi perpetuo conſtarent, vt potius, ſi qua vlla alia in re, in diuerſiſſima, certe, circa hanc, de quiete deorum, opinionem, abierint, id quod mox pluribus videbimus [p]. miſſis tamen omnibus effugiis, et latibulis, res haec in aprico verſatur. teſtatur enim PHILOSTRATVS*, κατὰ ΜΕΣΗΜΒΡΙΑΝ, ὅτε δὴ λέγεται ΚΑΘΕΥΔΕΙΝ Ο ΠΑΝ· et paullo poſt: ἐκάθευδε δ᾽ ἄρα πρότερον μὲν ἀνειμένος τε καὶ πρᾶος τὴν ῥῖνα, καὶ τὸ ἐπίχολον αὐτῆς λεαίνων τῷ ὕπνῳ, quo loco num quid clarius eſſe poſſit, equidem parum video. Porro, meridie, ea ipſa de cauſſa, templum intrare, veteres, grande certe nefas, et tantum non morte piandum

tur in ANTHOL. *lib. IIII. cap. XII. ep. LXXVIII.* poſterior autem in *eiusd. libri cap. XV. ep. I.* comprehendunt autem latini, paſtoralium carminum nomine, laxiſſimo vocabulo, ea omnia, quae, quamuis pro pecorum diuerſitate, diuerſa et ipſa fuiſſent, proprieque aut *Bucolica* dicerentur, aut *Syboria*, aut *Aegopolia* vel *Aepolia*, ſuo tamen iure ad paſtoralia omnia referuntur. Inſtructos, verum eſt, paſtores, et carmine et fiſtula, ad meridiem ne Pana quidem ceciniſſe, necque ex THEOCRITO, necque ex imitatore eiusdem, et ſaepius interprete latino, VIRGILIO, vllo vmquam in loco diſcimus, quamuis et deos reliquos, deasque, Iouem et Apollinem, homines iſtos, natos diſcincta in otia, celebraſſe cantu, et ſyringe, ſub meridiem ſubdubitem. quod ſi quae enim ſunt, quae relata de laudibus Panis, deorumue reliquorum, apud hoſce duumuiros legimus, eo in primis tempore facta fuiſſe, puto, quando *ſumma procul villarum culmina fumant, maioresque cadunt altis de montibus vmbrae.* idque tamen ſaepiſſime, non ex illa quidem opinione, vt quieſcentem deum, Pana, aut forſan et reliquos deos, excitarent e ſomno, quam potius prae nimia, ob ſitibundum, furentemque, ſolis aeſtum, laſſitudine, et pigritia. vid. VIRGILIVM *Bucolic. eclog. II verſ. 31.* et THEOCRITVM *l. c.*

o) In obſeru. in hymn. lauacr. Pallad. p. 599.

p) §. 4. quae deos ſiſtit, qui ſomnum numquam, aut certe, rariſſime, vident.

* *Iconum. lib. II. cap. XI. p. 828. edit.* OLEARII.

dum, credidiſſe, refert THEODORVS GRAEVIVS, ne deorum ſomnus, intrantium ſtrepitu, perturbaretur [q]. Pythagoricos etiam, ſapientesque apud Aegyptios nullam certe aliam ob rationem, ne quis circa meridiem, ianuam, portamue templorum, praeteriens loqueretur, vetaſſe. quis enim adeo ignarus eſt, et hoſpes in ſectae Italicae hiſtoria, vt, quantum ſilentio Pythagoras, diſcipulique eius, tribuerint, ignoret? hinc et colendum ſilentio Deum eſſe, qui principii rerum omnium auctor eſt, ſtatuebant [r]. quamuis vero perſuadere mihi vix potuerim, vt hunc Phe-

q) *Ad verſ. 72.* CALLIMACHI *hymn. in lauacr. Pellad. p. 147.*

r) Quod diſcipulis ſuis, ad certum tempus, inponebat, ſilentium, Pythagoras, eo, plerique exiſtimant, hoc tantum in primis voluiſſe, vt eumdem proponentem placita, ne diſcipuli quaeſtionibus variis et dubitationibus interpellarent, ſed quae ipſe doceat, diligenter auſcultarent, fineque demum doctrinae inpoſito, dubia ipſis necque ſatis perſpecta quae videbantur, ex eo quaererent, vt iſta ſoluat, aut explicet. quando tamen GELLII verba *noct. Attic. lib. I. cap. VIIII.* curatius paullo perſpiciamus, nullam omnino fuiſſe ipſis percunctationem permiſſam, ſed omnem penitus interdictam, patebit, conf. IO. SCHEFFERVM, *de nat. et conſtit. philoſ. italic. cap. II. p. 109.* Quod vero ad illud ſilentium adtinet, quo et Deum ſtatuebant veteres colendum eſſe, et quod a Pythagora etiam obſeruatum fuiſſe, ex loco PORPHYRII patebit, id ſane maioris indaginis res, mihique ſemper venerandae auctoritatis fuit. mihi enim primo, eiusmodi ſilentium, quod ſuo tempore ſit, magnum eſt, et omni ſermone ſublimius, *ὡς ἡ τοῦ Αἴαντος σιωπή*, vt ait LONGINVS *περὶ ὕψους Sect. VIIII. p. 30. μέγα καὶ παντὸς ὑψηλότερον λόγου.* et quod litteratiſſimus PEARCIVS *in h. l.* ex VIRGILII *Aeneid. lib. VI.* Didonis ſilentium adduxit, eſt illud ſane *τὸ περὶ τὰς νοήσεις ἁδρεπήβολον. vid. Sect. VIII. p. 26.* Locum me inueniſſe gaudeo egregium apud OVIDIVM, *Amor. lib. I. eleg. VII. verſ. 19. ſeq. vol. I. p. 351. ed.* PETR. BVRMANNI, hominem ſiſtentem, qui ad pacandam puellam ſuam, quam verberauerat, cum maxime enititur. is nempe, quoniam amicam inducit ſilentem, erumpentemque tantum in lacrimas, neque iurgiis rixisque indulgentem, nosmet ita ſane commouet, vt puellulae aduerſis indolentes, neſcio quem tenellum adfectum, animique perturbationem, inſigne ſublimitatis argumentum! experiamur: *Quis mihi non: demens*, ait, *quis non mihi, barbare, dixit? Ipſa nihil. pauido lingua retenta metu eſt.* et ſtatim adiicit, *egit me lacrimis*, ORE SILENTE, *reum.* Deinde vero illud ſilentium, quo res diuinas contemplamur et ineffabilia opera ſummi numinis ſtupemus, eſt *μεγαλοφυὲς* quidpiam *καὶ ὑψηλότερον.* Et ita DAVIDES, *hymn. XXXVIIII. comm. X. Obmuteſco*, ait, *ne mutiens quidem, te negotium tranſigente.* cuiusmodi loca frequentius in S. Bibliis occurrunt. Pythagoras igitur et ſilentio colendum Deum eſſe dum ſtatuebat, non poſſum a me impetrare, quin id propter ea fieret, ne quid per inprudentiam aut inconſiderantiam de Deo effutiretur, quod indi-

Pherecydis discipulum tam crassi, et indigni philosopho, erroris, de Dei somno, meridie, quem *insititium* VARRO [s] vocat, adcusem, probe gnarus, licet eidem omnem Ebraeorum, Ezechielisque, vatis, institutionem [t] denegem, quam bene tamen admodum de Deo senserit, et quam acriter, vir ipse integerrimus, innocentissimusque, puritatis, virtutisque studium, primum adeo, et praecipuum sapientiae caput duxerit. non tamen penitus, id quod ingenue fateor, inhaesitasse ipsi adhuc paullulum, spurcitiei quidpiam, de illo antiquissimo dogmate, negare auderem, in primis cum certum sit, suasu eumdem, et consilio Thaletis ad Aegyptios iter suscepisse [u], de quibus auctor praesertim est ATHANAS. KIRCHERVS [x], quam sancte meridiem prosecuti sint, quantaque in veneratione meridionalem plagam, tranquillitatis illud, quietisque receptaculum, habuerint, hac sola, de quiete, et somno deorum, doctrina adducti. Elegans locus est

 apud

indignum diuino nomine, honorique ipsius parum conueniens videretur. Exstat elegans DAN. GEORG. MORHOFII diss. *de eloquentia in tacendo* Kiloni 1684. habita, quae euolui et conferri meretur. *s) De re rustica lib. I. cap. 2.*

t) Ab Ebraeis Pythagoram sua accepisse, in ea sententia sunt, IO. SELDENVS *de iur nat. et gent. ad discipl. Ebr. libr I. c. II. p. 13. seq.* IO. SCHEFFERVS *de nat. et const. phil. Ital. cap IIII. et V. p. 14.* HVG. GROTIVS *epistolar. DLII, p. 217.* et alii. Illustris sacrorum Abrincensium in Gallia Praesul PETR. DAN. HVETIVS Danielem adeo aeque vt Ezechielem, prophetas, frequenter aditos ab eodem fuisse, adserit, *in demonstrat. euangel.* libro eruditissimo, *proposit. IIII. p. 79.* vbi AMBROSIVM et LACTANTIVM, qui ad Iudaeos minime penetrasse Pythagoram statuunt, multis refutat, et *p. 397.* CLEMENTEM etiam ALEXANDRINVM emendat, aliosque, qui suae sententiae fauere minime videntur. dignus sane ipse, et locus iste integer *de prophetia Ezechielis p. 396. sq.* qui hic conferatur. Sed si dicendum, quod res est, mallem ego ad IACOBI LENFANT partes transire, qui in *diss. de quaestione: an Pythagoras atque Plato notitiam libror. Moysis et prophetarum habuerint?* quamque insertam legis *dans la bibliotheque germanique tom. II. art. V. p. 124.* qui in hac, inquam, dissertatione, hocce ita sese habere posse, negat omnino, et pernegat. quam rem nec abnuentes video IO. FRANC. BVDDEVM, et IO. ALB. FABRICIVM, duumuiros inmortales, et hunc quidem in *biblioth. gr. lib. II. cap. XII. ad §. 2. p. 457.* illum vero in *histor. eccles. V. T. tom. II. per. II. sect. VI. ad §. 13. p. 1077.*

u) Vid. DIOG. LAERTIVS, *lib. VIII. segm. I. p. 287 seq. ed.* MENAGII.

x) Oedip. Aegypt. Tom. III. Syntagm. I. cap. V. p. 127. quem vide sua ex PLVTARCHO demonstrantem. *conf. §. III. sectionis II. disp. nostrae.*

apud PORPHYRIVM[z], dignus ſane, qui in medium producatur. Ἱςᾶσιν οὖν καὶ σύμβολον τῆς μεσημβρίας καὶ τοῦ Νότου, inquit, ἐπὶ τῇ θύρᾳ ΜΕΣΗΜΒΡΙΑΖΟΝΤΟΣ ΤΟΥ ΘΕΟΥ· οὐκ οὖν οὐδ᾽ ἐπὶ τῶν ἄλλων θυρῶν ἐφ᾽ ὁποιασοῦν ὥρας ἐξῆν λαλεῖν, ὡς ἱερᾶς οὔσης θύρας· καὶ διατοῦτο οἱ Πυθαγόρειοι, καὶ οἱ παρ᾽ Ἀιγοπτίοις σοφοὶ, μὴ λαλεῖν ἀπηγόρευον διερχομένους, ἢ θύρας, ἢ πύλας, σεβομένους ὑπὸ σιωπῇ θεὸν, ἀρχὴν τῶν ὅλων ἔχοντα. ex quo igitur loco, quae adhuc adſerta ſunt, ſatis quidem, quantum video, confirmantur. Sed operae itidem pretium eſt notatu, quod meridiano iſto tempore, quo dormire dii, necque pro hominum ſalute excubare, credebantur, praui daemones, nocendi cauſſa, circumuagantes, a ſuperſtitioſis hominibus metuebantur, quod a Gallis olim exiſtimatum fuiſſe LVCANVS[a] innuere videtur, vbi, quem ſanctiſſimum Galli habebant, de luco, ad Maſſiliam ſito, haec refert:

Non illum cultu populi propiore frequentant,
Sed ceſſere deis, MEDIO cum Phoebus in axe eſt,
Aut caelum nox atra tenet. pauet ipſe ſacerdos
Adceſſus, dominumque timet deprendere luci.

de qua opinione mox exponemus ſequenti paragrapho. Ceterum, cum Aegyptii inbuti hac opinione de meridiana quiete deorum fuerint, haud ſane abs re fuerit, concedere, quin et Syri et Chaldaei eadem ſuperſtitione faſcinati, idem illud de deorum ſuorum meridiatione ſtatuerint, quod Graeci, aliaeque gentes, ſomniauere. certe IO. CLERICVS, iucunda illa litteratis recordatio, Cananaeos, Graecis, non fuiſſe ſapientiores, profitetur[b]. Et exſtat vere, in tertio regum commentario[c], Eliae inuectiua in Baalenſes vates oratio, quae ſatis, faecem iſtam hominum, ab illa, de dor-

z) In libello *de antro Nympharum ad locum* HOMERI, *Odyſſ. N. verſ. 102. ad 112.* qui continetur in priori volumine *Iliad.* HOMERI, editionis BARNESII, *Cantabrig. An. 1711. edit. p. CXXI, lin. 10. ſq.*

a) *Pharſaliorum libr. III. verſ. 422.*

b) *In comment. philol. ad 1 Reg. XVIII, 27. p. 425.*

c) *Cap. XVIII. verſ. XXVII.*

dormitione deorum, opinione, non abhorruiſſe, indicare videtur. illuſtrat laudatus, quae dicta ſunt paullo ante, locus ex codice ſacro egregie, quem, cum videam adcurate ad Ebraicam originationem expreſſum, ſeptuaginta interpretum verſionem tantum ſubiiciam, vt eo clarius vel ipſa graeca vocabula cum antecedentibus dictis conſenſum prodeant. Καὶ ἐγένετο ΜΕΣΗΜΒΡΙΑ, *καὶ ἐμυκτήρισεν αὐτοὺς Ἠλιοὺ ὁ Θεσβίτης, καὶ εἶπεν· ἐπικαλεῖσθε ἐν φωνῇ μεγάλῃ, ὅτι Θεός ἐστιν, ὅτι ἀδολεσχία αὐτῷ ἐστι, καὶ ἅμα μή ποτε χρηματίζει αὐτὸς ἢ μή ποτε* ΚΑΘΕΥΔΕΙ *αὐτὸς, καὶ ἐξαναστήσεται.* quam ſenſus, et vocabuli vim melius ſenes expreſſiſſent hoc modo: *ἢ μή ποτε* ΒΡΙΖΕΙ *αὐτὸς.* ſumendam enim, notarunt grammatici, hanc vocem, *βρίζειν*, de meridiano poſt cibum ſomno, eſſe, vt ex HOMERO, HESYCHIO, aliisque, commonſtrant. Ad quem tamen locum, quod ſi quis SEBAST. SCHMIDIVM euoluat, quem diligentiſſimum quidam, et prolixiſſimum interpretem faciunt, vereor, vt voti compos is fiat, aut vt deſiderium ſuum explere poſſit. *diſcimus hinc*, ait [d], cum hiſce pauciſſimis verbis, omnis ad hunc locum contineatur commentatio, *ridiculum admodum eſſe deum, qui non poteſt omnibus ſimul ſatisfacere*, ambigue dicta! ſed in Ioue adprime conuenientia! *nec vbique praeſens eſt, aut dormit aliquando.* Ceterum et Sol, quem Apollinem alii nuncupant, immo vero ipſe Deus adeo, *μεσημβριάζειν* apud POLLVCEM [e],

dici-

d) *Adnotat. in libros Regum p. 121.*

e) *In Onomaſtico lib. IIII. cap. XX. ſegm. 157. 158. p. 443. edit.* TIBER. HEMSTERHVIS, vbi haec habet: *τὸ γὰρ μεσουρανεῖν, Αἰγυπτίων· Ὅμηρος δ' αὐτὸ σεμνῶς λέγει. Ἦμος δ' ἠέλιος μέσον οὐρανὸν ἀμφιβεβήκει. λέγοις δ' ἂν, καὶ* ΚΛΙΝΟΝΤΕΣ ΕΙΣ ΤΑ ΜΕΣΗΜΒΡΙΝΑ ΤΟΥ ΗΛΙΟΥ, porro, ΤΟΥ ΘΕΟΥ, quod probe notandum, *τοῦ ἀστροῦ*, cetera, ΜΕΣΗΜΒΡΙΑΖΟΝΤΟΣ. male, meo iudicio, ignarus veterum opinionis, de quiete Dei meridiana, vertit interpres: *dices. ſole ad meridiem inclinato: deo, ſidere, in meridie agente.* ita potius debebat: *ſole ad meridiem inclinato,* DEO, *ſidere,* MERIDIE DORMIENTE. retulerat enim inter vocabula, quae meridiei adtribuuntur, POLLVX *μεσημβριάζειν* paullo ante, et rectiſſime verterat idem interpres, ſicuti et SVIDAS ſub hac voc. *p. 536. Tom. II. ed.* KVSTERI, *meridiari*, quod vocabulum repetendum hoc loco erat neceſſario. quod enim *ſidus*, (hoc quippe adiicitur) *meridiari* dici adpoſite poſſit, inde patet, quia ad meridiem non cernitur. et hic locus forſitan

dicitur, et *f* alia, hanc rem quae illuſtrant, multa adhuc, apud probatiſſimae fidei auctores, occurrunt.

§. III

Diis dormientibus, praui daemones, in aëre volantes, circa meridiem inprimis, metuuntur. daemones albi, et nigri. explicatio loci Pſalmor. XCI, 5. 6. error τῶν LXX. et SCALIGERI

SED non poterat non fieri, quin homines, ſomnum iſtum, meridiationemue deorum ſuorum cogitantes, in alia quaeuis abierint. Quippe iam opinionis illius mentionem feci, quando dormirent dii, necque prouidere rebus mortalium poſſent, vt praui daemones, et laeua numina, animaeque in aëre volantes, ſed in primis meridie, metuerentur *g*. quorum cum adſpectus, *terriculamentum bonis hominibus*, ſecundum APVLEIVM fuerit, malorumque multorum irritamentum, ſibi quiuis cauebat ſedulo, ne

ſitan eſt, quem ANNA FABRI putat, vbi *meridiem conticeſcere* dici, adfirmans, male, quod vidimus not *l*) PLINIVM producit, de apibus tamen agentem. hinc obelo traiiciatur ANNA! Ceterum vix ego negare auderem, illa ipſa veterum opinione, de quiete ſolis meridiana, alios poſtea, Philolaum, philoſophum Pythagoraeum, et recentiori in primis aetate, Copernicum, et Galilaeum de Galilaeis, eo adductos eſſe, vt, reiecta Ptolaemaei potiſſimum, de quiete terrae, ſententia, pro motu potius eiusdem, ſolisque quietiſſima ſtatione, quamuis moueatur circa proprium axem, pugnauerint. ſunt enim vilia ſaepius rerum, et veritatum ſummarum, primordia. licet, vel ipſam Copernicam ſententiam, probe memor ſim, a maximis etiam noſtrae aetatis mathematicis, in dubium, necque forſitan, quod meum tamen non facio iam, ne mihi ipſi iniuria fiat, ſine rationibus ſuis, vocari.

f) *Vid.* IO. CLERICI *art. critic. P. I. c. I. p. 37.*

g) Daemones, quantumuis minime ab eorumdem natura, ſunt enim ſecundum PLATONEM *de republ. lib. II. p. 379.* ἀγαθῶν χορηγοὶ, κακοῦ δὲ οὐδενός, diſtinguebantur tamen ex effectibus in bonos et malos, ſiue, vt loquitur HORAT. *ep. lib. 2. ep. 2.* in *albos* et *nigros.* cuius certe diſtributionis crebra fit apud priſcos auctores, qui de daemonibus expoſuere, mentio. Ex innumeris locis, quibus tantum non ſcatet antiquitas, producam vnum, quem vindicatum, beneque intellectum, vt multa alia, debemus illuſtriſſ. SPANHEMIO. eſt nimirum is deſumtus ex CALLIMACHI *hymno in Cererem verſ. 32. p. 162.* ἀλλ᾽ ὅκα τριοπίδαισιν ὁ δεξιὸς ἄχθετο δαίμων, cui, vt obpoſiti pateat ratio, adiungo itidem vnum PINDARI *Pyth. Od. III. p. 136. ed.* HENR. STEPHANI: δαίμων δὲ ἕτερος, ἐς κακὸν τρέψαις, habemus hic δεξιὸν καὶ ἕτερον δαίμονα, qui tamen *dexter daemon* ex vſu potius graeco, vt fas eſt, quam romano loquendi, pro ἀγαθῷ explicandus eſt. vide *obſeru. in Pallad. p. 635.* et *in Cerer. p. 686.*

ne forsitan sub meridiem eiusmodi genium, ferarum saepius, brutorumque specie, indutum, forma humana etiam adparentem, reliqua, deprehenderet [h]. Ad quam sane superstitionem interpretes graeci et latini respexerunt, qui in libro *Psalmorum* [i], hominem pium, aiunt, Iouamque sibi fiduciam esse statuentem, sibi itidem non metuere *ἀπὸ δαιμονίου μεσημβρινοῦ*, *a daemone meridiano*. Non erit iniucundum, necque abs re prorsus alienum, si paucis quibusdam locum huncce contemplemur, et, quantum distent a fontibus ebraeis interpretationes, videamus. nempe, qui in praesidio Supremi habitat, *necque is nocturnos terrores, necque volucres interdiu sagittas formidat, nec pestem in caligine peruadentem, nec* MERIDIE GRASSENTEM LVEM. sacratissimae paginae habent מִקֶּטֶב יָשׁוּד צָהֳרָיִם non timet *pestem, quae vastat in meridie.* latinissima CASTELLIONIS versio, quam statim exhibuimus, et id sibi, praeter verborum elegantiam, hoc certe loco, peculiare habet, et proprium, vt strenue ebraicam locutionem secuta, *vulgatam* illam, SIXTI V. iussu, recognitam, quam longissime post se relinquat. septuaginta enim haec interpretum vestigiis insistens, si illa vacillat, labitur. cum igitur seniores isti, ex ebraicae linguae forsitan ignorantia, dixerint, *ὀυ φοβηθήσῃ* iustus, *ἀπὸ φόβου νυκτερινοῦ, ἀπὸ βέλους πετομένου ἡμέρας, ἀπὸ πράγματος διαπορευομένου ἐν σκότει, ἀπὸ συμπτώματος καὶ* ΔΑΙΜΟΝΙΟΥ ΜΕΣΗΜΒΡΙΝΟΥ, bona fide scripserunt barbarae interpretationis compilatores: *non timebis a timore nocturno, a sagitta, volante in die, a negotio, perambulante in tenebris, ab incursu et* DAEMONIO MERIDIANO. necque vero melius, ebraearum quamuis litterarum eximie peritus, reddidit APOLLINARIS [k], episcopus Laodicensis, hunc DAVIDIS hymnum,

Ουποτε

h) Vid. elegantissimas et graeca litteratura refertissimas diss. binas IVST. GOTTH. RABENERI, viri quondam doctissimi, *de daemonibus.* §. 17. 23. cet.

i) *Psal. XCI, comm. 5. et 6.*

k) *In interpretatione psalmorum graeca, versibus heroicis, Psalm. cit. vers. 10. p. 255. ed.* FRID. SYLBVRGII *apud Commelin. 1596.*

Ὄυποτε μοι, canens, νυχίῳ περὶ δείματι δειμήνειας,
Ὄυτε μεθημέριον, πταμένου ῥοιζηδὸν ὀϊςοῦ,
Ὀυδ᾽ ὑπονυσσομένου σκοτίους περὶ πυθμένας ἔργου,
Ὀυδ᾽ ὑπὸ ΔΑΙΜΟΝΙΟΥ τε ΜΕϹΗΜΒΡΙΝΟΥ
ἀντιόωντος.

Dici autem non poteſt, quam mirifice doctiſſimorum hominum ingenia torſerunt iſtae interpretationes. non enim deſunt, qui, non haec modo verba, ſed et, quae praecedunt, omnia, de ſpiritibus malis explicant, quorum vires, inſidiaeque, metuendae hominibus, denotari hoc loco arbitrantur. eminet inter iſtos *Chaldaeus Paraphraſtes* [l], qui quouis verbo nouum daemona, vmbramque nouam, intelligi exiſtimat. *non timebis*, ait, *a pauore Daemonum, noctu ambulantium. a ſagitta Angeli mortis, qui vaſtat in die. a Morte, quae in tenebris ambulat. a caetu Daemonum, perdentium in meridie.* Necque parum recedit R. SALOMO IARCHI [m], qui duo potiſſimum, inueniſſe ſeſe, noua prorſus, et ad hunc diem inaudita, Daemonum nomina gloriatur, quorum alter noceat noctu, et alter noceat meridie. Verba Ebraea legunt. Iuſtus non timebit מִדֶּבֶר בָּאֹפֶל יַהֲלֹךְ׃ deinde, מִקֶּטֶב יָשׁוּד צָהֳרָיִם. Vertit R. SALOMO, et adſtipulatur opinioni LYRA [n], hoc modo: *non metuet ſibi a* DEBER, *deambulante in tenebris, et a* QVETEB, *vaſtante in meridie.* SYMMACHVS [o] quoque, et AQVILA, [p] Dae-

l) R. IOSEPHVS LVSCVS, vel *coecus*, *in Targum Hagiographorum*, quod, quamuis a quibusdam vel R. AKILASO, vel R. IOSAE adſcribitur, ab AVG. PFEIFFERO tamen, et IO. GOTTL. CARPZOVIO, auctori ſuo reſtituitur, et ab hoc quidem *P. II. C. I. §. 5. p. 463. Crit. S.* ab illo autem *cap. VIII. quaeſt. XIII. p. 258.*

m) Qui alio nomine BEN ISAAC venit, *in commentar. ad h. l. qui inſertus eſt Bibliis magnis Venetis et Baſilenſ.*

n) *In comment. ad h. l.* quo ſimul, vt paſſim alias, in SALOMONEM commentatus eſt.

o) *In Verſione graeca h. l.* quam transtulit tempore SEVERI A. D. 203. ſed, vt THEODORETVS, aliique monuere, mala fide, id quod vel ex hoc loco patet.

p) Moroſus ille homo in vertendo, cum graecam interpretationem adeo exornare, vel inquinare potius, adniſus fuerit, vt vel ipſa veriuerbia et etymologias exprimere conaretur, de quo vid. IO. LIGHTFOOD *in Chron. tempor. Sect. VI. p. 144. b. Opp. ed. Rotterod. T. II.* qui inſuper ADRIANI temporibus AQVILAM floruiſſe, euincere geſtit.

Daemonium hoc loco *meridiei*, aut, nescio, quem *morsum Daemonizantis meridiei*, sentiunt. Vt nihil dicam de patribus, qui Graecam versionem secuti, *daemonii meridiani* nomen, et ipsi retinuerunt. inter quos, non infimi nominis, sunt, CHRYSOSTOMVS[q], AVGVSTINVS[r], atque ARNOBIVS[s]. HIERONYMVS[t] certe in eumdem locum, vulgi sententiam et locutionem fuisse, docet, Daemones quosdam, singulari nomine *Meridianorum*, olim insignitos exstitisse, et sic porro. Rectissime sane, portentum illud ingenii, CASP. BARTHIVS[u], e paganismo haec vtique ducta esse omnia, coniicit, eiusque rei persuasionem, de daemonibus, interdiu, ob somnum, quietemque deorum, tumultuantibus, sequi, ait, STATIVM[x], quando canit:

Ingentes infelix terra tumultus
Lucis adhuc medio, solaque in nocte per vmbras
Expirat, nigri cum vana in praelia surgunt
Terrigenae.

vbi praeterea, et hunc vatis diuini locum, et varia adhuc, de EVTHYMIO, sed a IO. IACOB. HOFMANNO[z] ad verbum exscripta, elegantissime, eruditissimeque proponit. Instituti mei ratio iam non permittit, copiose memet Rabbinorum somniis inmergere, et *Paraphastis Chaldaei*, porro SALOMONIS IARCHI, LYRAE, et reliquorum, sententias, fusiori oratione refutare, aut inquirere, quo tandem modo, *cum* דֶּבֶר *in S. litteris, pestem* solummodo significet, isti vero in hanc opinionem peruenerint, vt, vel deum adeo nouum, DEBER nomine, aut QVETEB[a], insignitum, pepererint, vel daemonem certe quempiam malum

q) *In homilia ad h. l.* conf. DION. CHRYSOSTOMI, *Sophistae, Orat. XXIIII. quod felix sit sapiens. p.278. edit.* ISAAC. CASAVBONI.

r) *In enarration. in Psalmos*, et quidem XC, cum in nostris bibliis sit hymnus XCI. *p. 363. C. Opp. Tom. VIII. edit. quae opera Theologorum Louaniensium prodiit Coloniae 1616.*

s) Iunior, *in comment. in psalmos ad h. l.*

t) *In h. l.* quem omnino confer.

u) *In animaduersion. ad* PAPIN. STATII *Thebaid. lib. IIII. Tom. II. p.1081. 1082.*

x) *Thebaid. lib. IIII, v. 438. cet. p. 197. ed.* CASP. BARTHII.

z) *In Lexic. vniuers. continuatione P. II. voc.* Meridianus.

a) IO. BVXTORFIVS, *in Lexic. Chald. Talmud. Rabbin. p. 2008.* apud Talmudicos sumi, refert, קטב pro spiritu maligno. *Hinc duo spiritus sunt*, per-

 git.

malum hac voce venire posse, in animum suum induxerint. SIXTIN. AMAMA[b] erroris fontem hinc profluxisse autumat, quod, qui δαιμόνιον ex Ebraeo יָשׁוּד interpretati sunt, per incuriam legisse visi fuerint יָשֵׁד quod verum est, fateor, *Daemona* significare, nam et occurrunt שֵׁדִים *Daemonia.* huic adstipulatur coniecturae, eamdemque adducit, vir summus olim in his terris, MARTINVS GEIER[c]. Errat autem certe IOSEPHVS SCALIGER[d], quando *daemonium*, existimat, interpretationem esse vocis קֶטֶב quod secus longe esse, modo laudatus SIXT. AMAMA obseruauit, vocemque potius in graeco, *συμπτώματος*, respondere vocabulo קֶטֶב euicit quam adcuratissime. Ceterum planam admodum, nemo non videt, atque perspicuam, ROBERTI BELLARMINI[e], Cardinalis, huius commatis interpretationem esse, *non timebis vlla pericula, necque nocturna, necque diurna*, modo non ex earum numero sit haec commentatio, quae ob nimiam laxitatem, circa quam versatur, eam rem non satis constituit. Sermonem hoc loco *de peste* esse, omniaque ita comparata adtributa, vt egregie in eamdem cadant, tantum certe abest, vt non credam, vt iam in hac ipsa opinione sim persuasissimus. Momenta quattuor adsunt, aprime satis quae huic morbo conuenire videntur. primo commeme-

git, תרי קטבים הם *qui* קטבים *vocantur* חד מקמי טיהרא וחד מבתר טיהרא *vnus potestatem habet ante meridiem, et alter post meridiem. Pesach. fol. CXI*, 2. consentiente VALENTIN. SCHINDLERO *in pentaglott. p. 1608. faciunt*, aiente, *duo spirituum malorum nomina, vnius* DEBER, *qui media nocte, alterius* KETEB, *qui in meridie noceat hominibus.*

b) In Anti-Barbaro Biblic. lib. III. p. 530. quemadmodum et mihi videtur, cum Septuag. vocem מִדֶּבֶר transtulerint *ἀπὸ πράγματος a negotio*, vt, punctis destituti, legerint מִדָּבָר quod quidem vocabulum exprimi per istam notionem potest.

c) Comment. in Psal. Dauid. ps. XCI. v. 6. p. 1594. C. ed. Lips.

d) Epistolar. lib. I. p. 95. Vastitatem, ait, *καὶ ἐρήμωσιν Ebraei vocant* קטב *quod proprie est vis quaedam maior καὶ θεομηνία, quod, quare daemonem verterint οἱ ό, nescio. hinc Sophistae hariolati sunt daemones in meridie vagantes. Et sane vetustas tales daemonas meridie infestos esse credebat, vt ille pastor Theocritianus, qui, non fas est, ait, ad meridiem canere, Pan metuendus est.* iniquo loco haec adducit magnus SCALIGER. locus enim THEOCRITI, de quiete Panis, minime vero, de daemonibus, circa meridiem vagantibus, agit.

e) In h. l. quam et ipse laudat, ac SCALIGERI consensu confirmat laudatus AMAMA, *l. c. p. 529.*

memoratur פַּחַד לָיְלָה *pauor nocturnus*, quem quidem, quamuis fatear, pro re qualibet terribili, et, quae caussa terroris, tempore nocturno est, poni posse, vt primo adeo intuitu nihil magno opere probari inde queat, cum tamen iam versu tertio דֶּבֶר *pestis* mentio fiat, idemque vocabulum commate sexto iterum occurrat, vt ex peste timorem huncce oriri, noctu semper terribiliorem, statuam, adiuncta suadent. porro *volucris interdiu sagitta* חֵץ יָעוּף יוֹמָם adducitur, quam teli similitudinem, quod si quis negat, translatam vmquam in pestem fuisse, vereor, vt ignorantiam suam prodat, necque vltra tres HOMERI paginas sapiat, qui in descriptione pestis, quae exorta erat in exercitu Graecorum, βέλος ἐχεπευκὲς eamdem nominat, et statim adducit haec verba[f].

Ἐννῆμαρ μὲν ἀνὰ στρατὸν ᾤχετο ΚΗΛΑ θεοῖο,

et, interiectis nonnullis, postea ita denuo loquitur[g]:

Ἧκε δ' ἐπ' Ἀργείοισι κακὸν βέλος· οἱ δέ νυ λαοὶ
Θνῆσκον ἐπασσύτεροι· τὰ δ' ἐπῴχετο κῆλα θεοῖο
Πάντη ἀνὰ στρατὸν εὐρὺν Ἀχαιῶν.

tertium nomen per se clarum est, *pestem* enim refert, *in caligine peruadentem* דֶּבֶר בָּאֹפֶל יַהֲלֹךְ׃ et tandem קֶטֶב pro *morbo contagioso, ac subito homines prosternente, familias totas, pagos et vrbes vastante*, sumi, GEIERVS[h] docet. Hinc, quidquid etiam HVGO GROTIVS[i], aliique, commemorent, quo minus de nulla alia re, praeterquam de peste sermo sit, facillime tamen inducor, ipsum adeoque hunc psalmum, tamquam sollemnem aliquam et

 com-

f) *Iliad. A. v. 53. p. 8.* g) *Vers. 382. seq. p. 13.* h) *l. c. p. 1594.*

i) *Comm. in h. l.* qui *de latronibus* et *apertis praeliis*, versum quintum: *ardore solis* etiam, *qui in locis Syriae et vicinis, cum maxime lethalis sit*, excidium illud in meridie vastans, quod versu sexto occurrit: דבר autem, *de morbis quorum caussae latent*, exponit. quem tamen, quod si quis sensum considerauerit, ingenio nimium suo, vt saepius, indulsisse magnum GROTIVM, videbit, sensumque, Scripturae S. a mente sua alienissimum, obtrusisse. Qui reliquorum interpretum sententias, in primis vero LVTHERI, GESNERI, SELNECCERI, ADA. SIBERI, COCCEII, GENEBRARDI, et aliorum, perspicere voluerit, quae de *peste diurna et nocturna* exponit, dissertationem theologicam, IO. GVIL. BAIERI adeat, eiusque *cap. I. §. 6. 7.* et *cap. II. §. 14. 15.*

communem precandi formulam, a DAVIDE, occasione horribilis pestis, quae in Iudaea grassata est, conscriptam, cum ad istam historiam facillime omnia congruere videantur, quid quaeso impedit, quin accipiam? quod vero caliginis bis, et noctis, mentio, totidemque vero etiam diei et meridiei iniiciatur, non video, quid obstet, quin potissimum ad insigniora duo, populoque Iudaico notissima exempla, pestis, respici credam, quorum alterum noctu, sed alterum interdiu contigerat, ad pestem nempe illam Aegyptiacam, quam noctu media initium cepisse MOYSES docet [k], et ad alteram, Israeliticae genti, post quam DAVIDES, superbia inductus, numerari populum iusserat, inmissam, quam interdiu irruisse, lateque per vicos stragem dedisse, certum est. re ipsa num ita statuendum sit, acutiores videant, quibus hanc meditationem *subiicio*. **Et ista quidem**, occasione illius opinionis, qua ob somnum et quietem deorum, maligni Daemones circa meridiem metuebantur, et occasione graecae interpretationis, dicta satis sunto.

§. IIII

Dii custodes. ἐπόψιοι. inspectores. dii, qui numquam, rarius certe, quietem capiunt. Mercurius. Cupido. Hercules. Gratiae. Musae. loci Psalm. XXXXIIII, 23. et CXXI, 4. 5. adducuntur

SED, quemadmodum praecipitibus nimium aquilonibus nauis decertat, ita et veterum, circa naturam Dei, sententiae, cum animis eorumdem luctari numquam desierunt. Cum enim ab institutione pendeat, et ratiocinatione, quid sentiendum de Deo sit, mirum certe non est, quot capita, tot ferme etiam, apud antiquissimos in primis, luce ista insigniori non illustratos, exstitisse opiniones. Quot, quaeso, sunt veterum auctorum loca, quibus φύλακες, dii, et *custodes*, quibus et ἐπόψιοι, seu *inspectores*, quibus

k) *Exod. XII, comm.* 12. καὶ διελεύσομαι ἐν γῇ Αἰγύπτῳ ἐν τῇ ΝΥΚΤΙ ταύτῃ καὶ πατάξω πᾶν πρωτότοκον ἐν γῇ Αἰγύπτῳ cet. et *vers.* 29. ἐγενήθη δὲ μεσούσης τῆς νυκτὸς, καὶ κύριος ἐπάταξε πᾶν πρωτότοκον ἐν γῇ Αἰγύπτῳ cet.

l) 2 *Reg. XXIIII, comm.* 15. καὶ ἔδωκε κύριος θάνατον ἐν Ἰσραὴλ ἀπὸ ΠΡΩΙΘΕΝ ἕως ὥρας ἀρίστου rel.

bus σωτῆρες etiam, conseruatores, et tutatores adpellitantur? Iouis sane in veteribus numis frequentissima est custodis denominatio [m], et HORATIVM Custodes Numidae Deos, Castorem et Pollucem debito vituli sanguine placare iuuat [n]. AESCHYLVS, Ζεὺς, ait [o], οἰκοφύλαξ ὁσίων ἀνδρῶν ἐστιν, et alio loco [p], τὸν ὑψόθεν Σκόπον ἐπισκόπει φύλακα πολυπημόνων βροτῶν· ἐπόψιος dicitur Mercurius, apud eumdem [q], sicuti Iupiter ita apud APOLLONIVM [r], et CALLIMACHVM [s], diique in vniuersum omnes, apud SOPHOCLEM [t]. Custodis autem partibus, minime ille quidem, cum recte perfungatur, cuius lumina, vt de Argo praecipit OVIDIVS [u], capiunt suis vicibus quietem, quo demum iure possint tueri istud nomen dii somnolenti, facile quidem patebit. Immo vero, miramur potius veterum cum in loquendo, tum iudicando, inconstantiam, qui, non certe de conseruatione huius vniuersi, aut gubernatione hoc loco cogitantes, Iouem non dormire vmquam, contra HOMERI, LVCIANI, aliorumque, clarissima testimonia [x], professi sunt. ita enim STOBAEVS vetustissimum, incerti tamen nominis, poetam producit,

m) Legitur enim cum apud auctores, tum in veteribus numis passim IVPPITER CVSTOS. et IOVIS CVSTOS, sicuti in genere etiam DIS CVSTODIBVS non numquam. quibus inscriptionibus similis est, quae ap. cl. IO. IAC. SPONIVM in Miscell. erud. ant. p. 78. conspicitur, et IOVI DOMESTICO dicata est. Templum etiam Ioui Custodi maximum in Capitolio a Domitiano exstructum fuisse, LVCIVS FAVNVS ait, in antiq. vrb. Rom. p. 215. T. I. th. SALLENGR. qui et templum habet Herculi Custodi dedicatum, lib. IIII. cap. XXIII. p. 291. thes. cit.

n) Carm. lib. I. od. XXXVI. lin. 3. o) Suppl. v. 277. ed. STANLEII Lond. 1663.

p) Eod. dramate vers. 388. q) Prometh. v. 299.

r) APOLLON. RHOD. l. II. vers. 1126. ξυνὸς ἐποψίου, ita enim legunt Critici, ἐπόψιος, ἐπόπτης, non, vt ibi legitur ἔποπος. Immo vero, quod mireris, Plutus pingitur apud PHILOSTRATVM, Icon. lib. II. c. 27. p. 853. ed. OLEARII oculatus, γέγραπται καὶ βλέπων, hic, quem coecum vulgo cum ARISTOPHANE in Pluto fingunt, sicut egregie obseruauit illustrissimus doctrina vir, ὁ πάνυ OLEARIVS. l. c.

s) Ὕμν. εἰς τὸν Δία vers. 81. p. 24. ed. GRAEV. ἵζει δ' αὐτὸς ἄκρῃς ἐν πτολίεσσιν, ΕΠΟΨΙΟΣ οἵ τε δίκῃσι λαὸν ὑπὸ σκολιῇς, οἵ τ' ἔμπαλιν ἰθύνουσιν.

t) SOPHOCL. tragoed. 7. Philoctet. vers. 1054. p. m. 187. edit. Francof. ex officin. Petr. Brubachii de ann. 1544. cum scholiis vetust. ἀλλ' ὦ πατρῴα γῆ, θεοί τ' ἐπόψιοι

u) Metamorph. lib. I. vers. 625. seq. x) §. 1. et 2. a me adducta.

cit[z], aperte, ὀυχ εὕδει Διὸς ὀφθαλμὸς, enunciantem, et EVRIPIDIS illud addit vlterius[a]. Ὀξὺς Θεῶν ὀφθαλμὸς εἰς τὰ πάντ' ἰδεῖν. quae quidem dicta, ad eam me cogitationem, cum perduxerint, num forsitan dii inuenirentur, deaeue, in antiquorum historiis, de quibus, vt quietem capiant, somnumque videant, adfirmari non possit, operae esse pretium videtur, inhaerere paullo huic menti, librosque veterum excutere. Et primo omnium, quod ad *Iouem* adtinet, a quo principium ducendum esse, olim existimabant, quamuis, vt vidimus, a vetustissimo poeta neutiquam is dormire dicatur, aut quietem capere, quo minus tamen, isthaec qui credam, inducar, et supra laudatis auctoribus fidem denegem, et huius scriptoris incertitudo suadet, et testimonium HOMERI[b], cuius libri, auctoritatem, vt apud nos iam Scriptura S. obtinet, *ita hi olim obtinebant*[c], suo iure exigit. a quo sane scriptum nihil fuisse, nisi quod ὀρθοδοξοτάτον eo tempore, et exacte cum fidei confessione conueniebat, quam certissimum est. vt tamen largiar aliquantulum, quicumque demum sit, huic scriptori, eidemque, tamquam balaenae dolium, concedam, vidimus supra ex HOMERO, pluribusque demonstratum dedimus, vbi Somno vxor Iouis persuaderet, qui dominum suum subprimeret, fateri itidem mortis fratrem, rem semet adgredi longe difficillimam, vix enim quemquam alium deorum adeo esse, hoc ipso Ioue, in capienda quiete, vt parciorem, ita moderatiorem. vnde patet, quamquam somnum pristini mortalium, ac quietem, Ioui tribuerint, ita tamen de patre regeque deorum sensisse semper,

z) *Ecl. Physic. l. I. c. VII.*

a) *In Phrixo, ap. eumd.* STOBAEVM.

b) *Iliad. A.* circa fin. et *Iliad. B. vers. 1. 2.* reliq. *conf. §. 1.*

c) Nam, primo, ad HOMERVM ita prouocant et respiciunt scriptores prope omnes Graeci, vt Christiani ad Scripturam Sacram. Igitur vix vllus scriptor Graecus bene intelligi potest, nisi ab eo, qui HOMERVM legerit. deinde, mors Flagellatoris eiusdem, tamquam paricidii, vt VITRVVIVS *in praefat. ad lib. VII.* loquitur, damnati, vnanimem illum consensum, et tantum non coniurationem in fouendo eodem, et defendendo, satis superque loquitur, licet non desint, quae recte cum REINESIO *Var. lection. lib. III. cap. 2.* et OLEARIO *in praefat. ad Philostrati heroica p. 648.* in contrariam partem sentiri de hoc Zoilo poterant.

per, vt otium suum vel in mundi adeo salutem conferre, et nullo vmquam tempore dormire censeretur, nisi aut curis omnino nullis excruciaretur, aut certe humani quidpiam, si ita loqui de Ioue Cretensi [d] fas est, perpetiretur. Quae quidem cum non sine limitibus, et adcuratiore distinctione dicta sint, videamus, si subpeditent aliorum testimonia, quibus, somnum haud vidisse deorum quorumdam oculos, demonstrent. *Mercurium* sane, mirum prorsus est, qui tamen ex ATHENAEI [e] sententia ὕπνου προστάτης credebatur, et ab EVSTATHIO [f] δότηρ adeo τοῦ ὕπνου nominatur, qui et secundum VIRGILIVM *dat somnos, adimitque*, eum, inquam, apud LVCIANVM [g] in sermone et dialogo, quem cum Maia, matre sua, instituit, quietem semet numquam capere posse, acerbe queri. in tam multa enim hic et tam varia luget se ministeria camillus distractum, caenaculum vtpote deorum verrendo, componendo singula vtensilia, adsistendo Ioui, et, in perferendis illius mandatis, toto die sursum, ac deorsum, cursitando, nectar etiam, priusquam pocillator puer aduenisset, subministrando, vt ne noctu adeo agere ipsi quietem liceret, τὸ δὲ πάντων

d) Iouis enim sepulcrum si LVCIANO, irrisori tamen deorum, fides habenda est, Cretenses ostendunt, et sepulcri illius inscriptio, qua Pythagoras antrum Idaeum ingressus eidem parentauit, apud CYRILLVM *adu. Iulian. libr. X.* legitur, quamuis e contrario LVCANVS *Pharſ. lib. VIII. v. vlt.* dicat: *Tam mendax, Magni tumulo quam Creta Tonantis.* et CICERO *l. I. cap. XXXII. de nat. Deor.* ab Euemero, quod et mortes deorum et sepulturae demonstrentur, *Vtrum igitur*, ita redarguit haec dicta, *confirmasse hic religionem videtur, an penitus totam sustulisse?* Deum, a veteribus ἀθάνατον creditum fuisse, ex omni fabularum de diis historia constat. licet, tantum non omnibus, initium suum, cunasque, adtribuerint, fatente tamen *Velleio* ap. CICER. *lib. cit. c. X.* Deum cogitari, nisi sempiternum, non posse, omneque id, quod ortum sit, mortalitatem consequi, vbi nimirum Anaximenem, Deum genitum quidem, sed infinitum adfirmantem, refutat. Et licet non defuerint ex sapientioribus, qui θεοὺς ἀεὶ ἐόντες statuerint, videntur tamen plerique ad finem illud tantum, non ad principium, retulisse, et in omne volubile aeuum, vt lineae, cuius cepit olim principium, processio autem, ad infinitatem omnem, modo, cum maxime euidente, progreditur et aeternitatem, ita et ipsis solum aeternitatem, principio non destitutam, contribuisse.

e) Deipnosophiſt. lib. I. cap. 14.

f) Ad Odyſſ. ῥαψ θ. p. 1598. ed. Rom.

g) LVCIAN. *dialog. caeleſt. marin. et inf. p. 232. ed.* GRAEVII, vide not. *p)* p. XI differt. nostrae.

των δεινότατον, ita gemit, ὅτι μηδὲ νυκτὸς καθεύδω μόνος τῶν ἄλλων, ſed et [h] *tum pias laetis animas repono ſedibus, virgaque leuem coerceo aurea turbam*, ἀλλὰ δεῖ με καὶ τότε τῷ Πλούτωνι ψυχαγωγεῖν, καὶ νεκροπομπὸν εἶναι, καὶ παρεςάναι τῷ δικαςηρίῳ. Sed iure quidem hoc, *tranquillus* enim Deus eſt et *pacifer*, vt mox patebit, quem ſane dormire nefas eſt. *Cupido* etiam, ſecundum *Samoſatenſem* [i], ὑπὸ τοῦ ὕπνου λελυμένος, quietem numquam capit, ſed et, quantumuis mater καὶ πληγὰς αὐτῷ εἰς τὰς πυγὰς τῷ σανδάλῳ, euge! bonum factum! incuſſerit, agilitate tamen perpetua, arcu, et alis, et pharetra, hominibus ipſis ſemper adeo quietem eripit, pauore ſomnum aufert, cruciatibusque perpetuis contorquet ipſos grauiſſime. Dicitur, apud THEOCRITVM, *Hercules*, et apud DIONEM CHRYSOSTOMVM, propter labores durato animo exantlatos, ἄγρυπνος ἥρως, quamuis et ab aliis ὀνειροπομπὸς, ſeu *ſomnialis* audiat, quod ſtatim videbimus. *Gratiae* etiam, *Muſae*que numquam quieſcere poſſe, apud priſtinos credebantur [k], id, quod vir magnae et diffuſae eruditionis, IOS. SCALIGER [l] euicit pluribus, qui locum ſimul quempiam HOMERI reprehendit, quo vnam is Gratiarum Somno coniunxerit, ſupra iam a me adductum. Maiori tamen iure, proprieque, DAVIDES [m], de ſupremo numine, adfirmare poteſt, μηδὲ νυςάξῃ ὁ Φυλάσσων σε· ἰδοὺ οὐ νυςάξῃ οὐδὲ ὑπνώσει ὁ Φυλάσσων τὸν Ισραὴλ· κύριος Φυλάξει σε, cetera. et, quamquam alio hymno [n] conqueſtus fuiſſet vates, ἐξεγέρθητι, ἱνατί ὑπνοῖς, κύριε; nemo non tamen videt, ita potius explicandam hancce locutionem eſſe: *auxilium nobis praeſens tuum demonſtra, domine,* *curam-*

h) HORAT. *Carmin. lib. I. od. X. lin. 17. ſeq.*

i) *In dialog. Veneris et Lunae. p. 205.*

k) Ita et ipſae inducuntur alacres circa meridiem, quo reliqui dii ſomnum capiunt, ad Heſiodum accedere, laurique ſacrum ramum decerpentes, eius temporibus eumdem inpedire. Epigramma eſt in ſtatuam Heſiodi, quod legitur *lib. IIII. Antholog. p. 368. ed.* HENR. STEPHANI, et quod ſatis indicat, ſomnum *Muſas* circa illud tempus non videre: Αὐταί ποιμαίνοντα μεσημβρινὰ μῆλά σε Μοῦσαι Ἔδρακον ἐν κραναοῖς οὔρεσιν, Ἡσίοδε. Καί σοι καλλιπέτηλον ἐρυσσάμεναι περὶ πᾶσαι Ὤρεξαν δάφνης ἱερὸν ἀκρέμονα. cet.

l) *In Critico p. 504.*

m) *Pſalm. CXXI, 3. 4. 5.*

n) *Pſalm. XXXXIIII, 23.*

curamque nostrum gere indefessam, cum otiosi instar hactenus dormire, nullamque omnino nostrum curam gerere visus fueris. cuiusmodi loquendi ratio non numquam in codice S. occurrit, quae tamen loca hic adducere copiose, meum iam non facio.

§. V

Quies nocturna diis insolita. SALMASIVS *notatur.* CLERICI *bonum verbum.* HESIODVS *laudatur. explicatur* GRAEVIVS. *loci quidam biblici adducti*

CVM igitur, circa meridiem potissimum, dormirent dii beati, noctu, hinc sequitur, quietem capere eos non potuisse, sed plerumque vigilasse. Quis est tam ignarus in lectione veterum, et in poetarum in primis historiis hospes, vt illorum sententiam, noctu deos versari in terra, et hoc orbe nostro, inter homines, interdiu vero sedes superas colere, et otio suo perfrui, ignoret? Insignis sane, et eminens locus est apud HESIODVM [o], qui in exhortationibus illis, quae ad doctrinam morum faciunt, ne quis, et interdiu, et noctu, pudenda, versus solem retegat, et denudatus nimium, lotium emittat, adiecta hac ratione, suadet, *μακάρων τοί νύκτες ἔασσιν.* Quo magis ridicula sunt, quae CLAVD. SALMASIVS [p] ad antecedentes versus monuerat, iure hinc a DIONYS. PETAVIO [q] castigatus, eo magis vera haec mihi videtur huius loci interpretatio, quae, noctu frequentius eos inter homines versari, statuit, adeoque et hoc tempore multa cum reuerentia pietateque esse omnino obseruandos. Cuius rei perhibet egregium testimonium STATIVS [r] his verbis, *huc et sub nocte silenti, cum superis terrena placent, tua turba relicto labe-*

o) *Op. et dies. vers. 730. p. 304. ed.* CLERICI.

p) *Exercit. Plinianar. p. 431. quasi Hesiodus velit de nocte tantum lotium emitti.* risum teneatis amici? sed et eleganter, vt solent saepe Critici, in egregia animaduersione CLERICVS: *p. 303. quod absurdum est, nec potest obseruari.* concedo totum argumentum.

q) *In miscellis exercitat. cap. I.* qui et versum 727. interpunctione et sententia a sequenti distractum esse, monente idem CLERICO *l. c.* recte obseruauit.

r) *Siluar. lib. I. vers. 94. seq. p. 5. ed.* BARTHII.

labetur caelo, miscebitque oscula iuxta. Et prorsus huc faciunt QVINCTILIANI [s] verba, vel ab ipso GRAEVIO [t] laudata. ille enim, dum adparitionem filii cuiusdam, deorum more factam, describit, *quotiescumque*, ait, *domus fuerat grato sopore prostrata, aderat ille, quales humanis se obferunt oculis propitii dii, quale laetissimum numen est, cum se patitur videre. Sicut omnis religio templorum, omnis religio lucorum, cum tacuere mortalia, et profani procul, errare sedibus totis, solitudine frui, et de suis dicitur exire simulacris: ita iuuenis meus noctibus totis agebat filium, et paterna domo ac penatibus suis fruebatur placidus, et mitis, et matri propitius, vt numen et deus delabi sideribus, et venire de liquido puroque aere videbatur.* nam ita legit hunc locum, et distinguit, GRAEVIVS [u]. Deas etiam per noctem vigilasse, necque quietem vidisse, chorus canit apud ARISTOPHANEM [x] ἐγὼ δὲ σὺν ταῖσι κόραις εἶμι καὶ γυναιξὶν, οὗ παννυχίζουσι θεαὶ, Φέγγος ἱερὸν οἴσων. Sic porro de media nocte *Cupidinem*, ab imbre madentem, ad se venire, et negotium sibi facessere, ANACREON [z], mellitus poeta et delicatulus, scribit: μεσονυκτίοις ποθ᾽ ὥραις στρέφεται ὅτ᾽ Αρκτος ἤδη κατὰ χεῖρα τὴν Βοώτου, μερόπων δε Φῦλα πάντα κέαται κόπῳ δαμέντα τότ᾽ ΕΡΩΣ ἐπισαθεὶς μεῦ θυρέων ἔκοπτ᾽ ὀχῆας· τίς, ἔφην, θύρας ἀράσσει, κατὰ μεῦ σχίσεις ὀνείροις· et, peruulgatam de sacro Hispaniae promontorio opinionem STRABO [a] refert, quo non fanum quidem, vt existimauerunt aliqui, *Herculis*, sed locum tamen, deorum religione, et praesentia, cum maxime inclitum esse, ita perhibet: θύειν δὲ ἐυ εἶναι νόμιμον οὐδὲ νύκτων ἐπιβαίνειν τοῦ τόπου, θεοὺς Φασκόντων κατέχειν αὐτὸν ἐν τῷ τότε χρόνῳ. *Iouem* producit OVIDIVS, [b] eleganter, ita loquentem: *Arcados hinc sedes et inhospita tecta tyranni ingredior, traherent cum sera crepuscula noctem.* et de numine, quod, vt praesens, funera Ausoniae

s) *Declamatione X.*
t) *In lectionib. Hesiodeis p. 74.*
u) *Loc. cit. p. 75.*
x) *In ranis act. I. sc. VII. vers. 447.*
z) *Carm. 3. p. 82. carmin. poetar. lyricor. ab* H. STEPHANO *1586. editor.*
a) *Lib. III. statim ab initio.*
b) *Metamorph. lib. I. vers. 218. 219.*

ſoniae gentis, finiret, expetierant Romani, adnuente votis, IDEM[c] adiicit, *ſeram pepulere crepuſcula lucem, vmbraque telluris tenebras induxerat orbi, cum deus in ſomnis opifer conſiſtere viſus ante tuum, Romane, torum.* Hinc pleraeque adparitiones et ἐπιφάνειαι, non ſolum, apud gentes, a ſacris, veri Dei alienis, ſed etiam, in diuinis adeo libris, noctu factae, dicuntur. Quod ſi enim, quibus coerceor, effundere memet carceribus, proripereque in ſpatium theologorum apertum velim, ſexcenta, et amplius, loca, in promtu eſſent adducenda, quae omnia, noctu Deum adparuiſſe, loquerentur. Quid enim ſollemnius, aut quid in prophetarum ſcriptis frequentius eſt, quam viſiones iisdem nocturnas obtigiſſe? Samueli Dominum noctu adſtitiſſe [d], et Salomoni per ſomnium adparuiſſe [e]; quis eſt tam plane neſcius, quin hoc tamen calleat? Iacobo etiam dormienti, Dominum, inſigni angelorum caterua ſtipatum obueniſſe, et cum ipſo, redeunte iam in patriam עד עלות השחר *donec rubeſceret ſtellis aurora fugatis*, luctatum eſſe, nonne copioſe nos, fuſeque, MOYSES[f] docet? quae tamen, vtpote ab aliis, forſitan, iam pertractata, mitto, meque ad ea potius, quae verſantur circa quietis nomen, diis adtributum, et, ad reliqua, confero, hoc tantum euincens iſthoc capite, noctu deos non adeo frequenter quietem cepiſſe, ſed aliis potius eamdem negotiis, curisque, deſtinaſſe, licet vltro, et inconſtantiam hic, vt ſemper, antiquorum, in iudicando, de diis ſuis, deprehendere me, profitear.

§ VI

Dii QVIETALES. *quietatores.* ἥσυχοι. *ſomniales. Pluto quietalis.* RICHTER *expenſus. nox* ἥσυχος. *Vacuna. Ianus. Angeronia. Tacita. Diana. Hercules* SOMNIALIS. *inſcriptio a* SPONIO *exhibita.*

SCILICET, inter cognomina, diis, deabusque quibusdam, apud veteres, adtributa, quae nimirum benignitatem quamdam erga homines indicare, aut certe, rem bonam, de ipſa illorum

c) Ibid *libr. XV. verſ. 651. ſeq.* item, *verſ. 646.* ſimiliter, PINDARVS *Pyth. Od. III. p. 134. ed.* STEPH. Ἀσκλαπίον, nominat, *ἥρωα παντοδαπᾶν ἀλκτῆρα νούσων.* conf. §. 6. *diſſert. noſtrae.* vbi de *Hercule Somniali* exponitur.

d) *1 Reg. III, 9. 10.* e) *3 Reg. III. 5.* f) *Geneſ. XXXII, 24.*

rum natura prodere debebant, quantumuis minus frequentissimum, inuenimus tamen a *quiete* nomen desumtum, et illud quidem vel clare expressum, vt QVIETALES audiant, QVIETATORES, ΗΣΥΧΟΙ, aut SOMNIALES. vel ita certe comparatum, vt substituto alio, sono diuerso illo quidem, vocabulo, sensus idem patere tamen, verbisque tantum discrepare, denominatio, re autem conuenire exacte possit. Vt enim taceam, maximam illam turbae caelestis partem, in imaginibus, sedentem soliis, et quiescentem, conspici, ne vocabula captare videar, adsunt dii, isthoc cognomine cum maxime insignes. Dicitur *Pluto*, inferorum rex, *maximus sane*, vt est apud CLAVDIANVM [g] *noctis arbiter*, *vmbrarumque potens*, *qui vitam letumque regit*, praeter alia, quae crebro obtinet cognomina, QVIETALIS etiam propterea, quod morte quietem cunctis adferat. Auctor huius cognomenti non contemnendus, FESTVS [h] est, qui clarissime, *Quietalis*, scribit, *seu Quietalus*, *ab antiquis*, *dicebatur Orcus*, *seu Pluto.* Necque vero putandum est, heroas solum modo, virosque illustres, pietate veluti, virtutibusque prae reliquis conspicuos, ex quo corpore soluti erant, minime peruenisse ad sedes Plutonis, ibique perpetuo commoratos esse, sicuti inconstans recentiorum fluctuat ferme circa istam opinionem, sententia [i], cum multi superum sedibus, principes adscribant, viris-

g) *De raptu Proserp lib. I, vers. 55.* h) *De Verbor. significat.* voc. quietalis.

i) Nempe, in re tam incerta, et tam varie ab antiquis auctoribus explicata, mirum non est, in alia omnia viros doctissimos abiisse. Nominabo, honoris instar, vnum ex ciuibus meis, felicem FRID. BRVMMERI imitatorem, quem propter diffusam in hoc litterarum genere, doctrinam, magni facere soleo, IO. GOTHOFR. EICHTER V. Cl. qui et, cum *in antiquae inscript. explicatione in agro Augustan repertae*, in voce DIS MANIBVS, admodum distincte hanc materiem eloquutus sit, consensu omnium dignus erit, qui adducatur. Scilicet, vir doctiss remotus esse ab ea, quam defendere tamen auderem, opinione videtur, omnes omnino animas, corpore solutas, ad vnum Plutonis regnum, id est, ad inferos, peruenisse, sed quasdam potius, heroum quippe, virorumque, virtutibus illustrium, *ad sedes beatorum euolasse*, et caelestium ab eo inde tempore habitacula incoluisse *p. 9.* Cui quidem sententiae, quam mallem testimoniis auctorum confirmatam esse aliqua ex parte, necque adeo nude propositam, existimo, repugnare, cum tritissimam illam, et omnes omnium generum homines peruagatam opinionem veterum de campis beatis

virisque bene meritis, et laude inter mortales insignibus, nescio, quem peculiarem apud caelestes locum addicant, sed omnes omnino homines, vita perfunctos, Plutonis regna, Iouisque inferni, subiisse, certus sum, ita creditum a veteribus fuisse, necque illos tantum loca inferna penetrasse, qui flagitiis se manifestis, sceleribusque polluerant, sed et eximios pietate viros sub Ditis principatu, imperioque fuisse. Duo enim erant loca apud inferos, vnus ille, qui adfluebat voluptatibus, et deliciis, quem piorum animae, corporeis solutae vinculis, postquam purgatae a leuioribus noxis erant, quas contraxerant, (dicit enim VIRGILIVS [k]: *quisque suos patimur manes,*) amoenissime petebant, alter, scelestissimorum hominum atrocissimum ergastulum, gigantum, Sisyphi, Tantalique, aliorumque, tristissimum domicilium, vbi sine quiete animae huc illuc agitabantur, et a furiis, facibusque ardentibus excruciabantur. Quod si enim euolauerint caelestia tantum loca lares, necque Plutonis regna subierint, qua, quaeso, ratione *Pluto*, QVIETALIS, adpellari posset, cum omnes omnino animae ad id imperio ipsius subessent, vt quietem obtinerent numquam, sed angoribus, cruciatibusque perpetuis vexarentur? sed Quietalis, Pluto intuitu eiusmodi generis animarum vocatur, de quibus canit VIRGILIVS, *exinde per amplum mittimur Elysium,*

beatis, Plutonis imperio subiectis, tum denominationem istam, de qua loquor, QVIETALIS, a FESTO Plutoni adscriptam, quae tamen transferri, nisi propterea, in eumdem non potest, quoniam inueniantur sub regno dei animae, quibus quietem ipse adferre, easdemque multa tranquillitate mulcere potest, quo tamen sublato, incassum sane et frustra hocce cognomento rex inferorum insigniretur. Quod enim ad illa auctorum loca adtinet, quae principes superum sedibus adscribi, eorumdemque euolare statim animas magnas concedunt, sunt ea, si diligentius id consideramus, vel poëtarum, quae ad verbum intelligi haud debent, cum ipsis audendi quaelibet aequa semper cum pictoribus potestas fuerit, aut adulatorum sunt, exigui lucri caussa in deorum numerum dominos suos euehentium, aut denique aliorum, quibus publici muneris adeptio aut magistratus, timor etiam, hoc si minus facerent, putatitiae cuiusdam superbiae aut coniurationis in principem, contra mentem illorum et veritatem, eiusmodi locutiones extorserint. Sed iudicium esto penes ipsum RICHTERVM meum!

k) Nemo nostrum, VIGILIVS ait, excluso omnino nemine, tam pie vixit, vt concreta, ex corporis commercio, vitia, inpune ferat. Vnusquisque patitur pro suo scelere supplicia, et tormenta, *exinde per amplum*, pergit, *mittimur Elysium.*

um, et pauci laeta arua tenemus, amoena vireta fortunatorum nemorum, sedesque beatas [l]. Sic adiungamus, age, Plutoni, dearum omnium antiquissimam, et Aethere, Dieque, priorem, ex Chao, vna cum Erebo, genitam, NOCTEM. de qua, ARISTOPHANES [m] Χάος ἦν καὶ Νὺξ, Ἔρεβός τε μέλαν πρῶτον καὶ Τάρταρος εὐρύς. et HESIODVS antea: Ἐκ Χάεος δ' Ἔρεβός τε μέλαινά τε Νὺξ ἐγένοντο. Νυκτὸς δ' αὖτ' Αἰθήρ τε καὶ Ἡμέρη ἐξεγένοντο. quae tamen dea sollemni elogio apud PLVTARCHVM [o] ΝΥΞ ΗΣΥΧΟΣ, *nox quieta*, adpellatur. *Somnus* etiam, inter deos, apud pristinos habitus est. cuius exstat apud SPANHEMIVM [p], exhibita, ex schedis PIGHIANIS, et in veteri marmore, a IANO GRVTERO [q], alis instructa, et ardentibus facibus, recumbens in dextrum latus, egregia imago, AGISBERTO CVPERO [r] adeo, et IANO BROVKHVSIO [s] adducta, qui omnes, alatis diis, Somnum inserunt, et Mercurio, Cupidini, Dianae, Nemesi, Victoriae, aliisque, adiungunt. hic, inquam, Somnus, aperte, apud HESIODVM [t], ἥσυχος audit, adiecto et alio deorum nomine, μείλιχος [u]. ὕπνος, ait, ἥσυχος ἀνςρέφεται, καὶ μείλιχος ἀνθρώποισι. Iris itaque, apud OVIDIVM [x], ad Somni regiam, vbi placida semper quies habitat, profecta, Iunonis nomine, ita eum salutat: *Somne*, QVI-

ES

l) *Aeneid. lib. VI. vers. 743. 744.* ec ante, *vers. 638. 639.* m) *In auibus.*
n) *Theogon. vers. 123. 124. p. 22.*
o) *In lib. qui inscribitur, de facie, quae in orbe lunae adparet p. 931. E. ed. Francof.*
p) *Vid. Obseru. in hymn.* CALLIMACHI *in Delum. p. 459.*
q) *Thesaur. inscript. p. CCCIIII, no. VIIII. ed* GRAEVII.
r) *In Apotheosi Homerica. p. 178.*
s) *Animaduers. ad* TIBVLLI *lib. II. eleg. I. p. 226.* t) *Theogon. vers. 763.*
u) Dissertatio Lipsiae, Ao. 1699. habita est sub praesidio theologi magni, et de ecclesia et academia nostra immortaliter meriti, desideratissimique, ADAMI RECHENBERG a IO. GOTTLIEB MILICHIO, auctore, vti videtur, dissertationis, *de diis, deabusque, veterum gentilium, Milichiis*, quo tamen, diligenter ceterum elaborato libello, miror, huius loci mentionem nullam fieri, suo iure adducendi, multoque adeo maiore, quam Panis, Martis, aliorum, iniicitur, quibus ἀμειλίχων potius adpellatio, quam placidissimum, Milichiorum, cognomentum, competit. *conf. cap. III. V, §. 5.* quod ne ipse auctor quidem negare, tacite videtur, suo tamen merito per hanc obseruationem minime defraudandus.
x) *Metamorph. lib. XI, vers. 623. 624.*

ES *rerum*, PLACIDISSIME, *Somne*, *deorum*. PAX *animi*, *quem cura fugit*. et, apud THVCYDIDEM[z], τὸ ἡσυχάζον τῆς νυκτὸς, pro ea parte noctis sumi videtur, quod PLAVTVS[a] VARRO[b], et MACROBIVS[c], *conticinium*, nominant. Inter deas *quietales*, referri etiam *Vacuna*[d] potest, quae, quiescentibus per hiemem, agricolis, praeesse existimabatur. immo vero, ipse *Iupiter*, qui, quemadmodum in numis antiquis Augustorum, QVIETATOR, et is, audit, *cuius prouidentia quies imperatori, imperio suo feliciter perfuncto, conciliatur*[e], a ferenda etiam, *pace* in primis, et *quiete*, vt FESTVS[f] vult, *Feretrius* dictus est, cui spolia opima, quae dux duci detrahit, suspendebantur. *Ianus*, *Clausius*, hac arcessitur, cuius templum, propter plenariam, abomnibus hostibus, quietem, ter obseratum Romae fuit. erat enim *quietum*, teste HORATIO[g], *Pompili regnum*, et cum omnibus populis pacatum. Necque vero, deae silentii, *Angeronia*, *Tacita*[h], et secundum HORATIVM[i], *quae silentium regit*, ipsa *Diana* adeo, excludendae sunt. Sed veniamus ad *Herculem*. Cuius certe cognomen sollemne, quo is et apud Romanos cultus est, SOMNIALIS[i] fuit, seu, vti Graeci loquuntur, ὀνειροπομπὸς[k]. Vetus est inscriptio Romae, quam integram apud SALMASIVM[l] habemus, et quam praesertim elegantissimus SPONIVS[m] nobis exhibet, qua SOMNIALIS Hercules vocatur, qui ceterum perpetuo ἀλεξίκακος creditus est, καὶ ἀποτροπαῖος, V. F. CVLTORES. HERCVLIS. SOMNIALIS. DECVRIA. I. DIS. MANIBVS. SIBI. POSTERISQVE. SVIS. cum enim, quod LVCIANVS de Hephaestione, inter diuos referendo, docet, tres istae semper diui-

z) *Libr. VII.* a) *Asinar. act. III. sc. III. vers. 95.* b) *De ling. lat. lib. V. cap. 2.*
c) *Saturnal. lib. I. cap. 3. p. 249. ed. Gryphian.* conticinium, *cum galli conticescunt, et homines etiam tum quiescunt.*
d) HORAT. *epist. lib. I, 10. vers. 49.* PLINIVS *hist. nat. lib. III. cap. 12.* OVIDIVS *fastor. lib. VI. vers. 307.* e) *Vid. §. 8. dissert. nostrae.*
f) *De verb. sign. voc. Feretrius.* g) *Carm. lib. I, od. XII. vers. 37.*
h) *Saturnal. lib. I. cap. X. p. 286.* i) *Epod. V. vers. 51.*
k) *Thyeste. vers. 396.* l) *Ad Solinum p. 351.*
m) *Miscell. erud. antiquit. p. 100.* quem omnino conferas, velim.

diuinitatis notae haberentur, ſomnia nempe, curationes, et oracula, curationes etiam, per ſomnia, cum plerumque praeſcriberentur, adparitiones itidem, et ἐπιφανείαι frequenter in ſomnis fierent, vbi deus adeſſe viſus, per ſomnum, remedia, quae συνταγαὶ dicebantur, ſanitati vel conſeruandae, vel recuperandae, praecipiebat, vnde in monumentis veteribus creberrime illud IN. SOMNO. ADMONITVS. occurrit, dii iſti praecipue ἀλεξίκακοι, et malorum auerruncatores, habebantur, vnde LVCIANVS ἔθυον, dicit, παρέδρῳ καὶ ἀλεξικάκῳ. quae res et Herculi iſtud cognomen conciliauit, vt ἀλεξικακος adpellaretur. Sed, cum laudatus SALMASIVS ex IVSTINO MARTYRE, atque EVSEBIO ſatis dilucide, iunctim olim in ſacris Magicis θεοὺς παρέδρους καὶ ὀνειροπομποὺς inuocatos eſſe doceat, inde veniſſe patet, vt Herculi etiam cognomentum SOMNIALIS adhaeſerit, nempe, eiusmodi, qui, per ſomnum, a morbo quietem adferre, ſanitatemque reſtituere poſſit [n]. quamuis et ita, non negem, explicari iſtam denominationem *Somnialis* poſſe, qui frequenter quietem amare, et profundum adeo ſomnum dormire geſtiat. in qua opinione, praeeunte DIONE CHRYSOSTOMO [o], ipſe illuſtris SPANHEMIVS [p] verſatur.

§. VII

n) Res nota eſt, et ab HERM. CONRINGIO olim, *in diſſ. de incubatione in fanis deorum, medicinae cauſſa olim facta*, et ante annum, ab experientiſſ. mihique amiciſſ. CAROL. FRID. HVNDERTMARK *in lib. ſingul.* paſſim in commentariis eruditorum laudato, *de expoſ. aegr. in vias publ. et templa*, ſatis copioſe pertractata, veteres olim, medicinae a diis petendae cauſſa, in templis incubuiſſe. addo ego, templum *Herculis Somnialis*, Romae, prope inſulam Tiberinam, non longe forſan a fano ipſo Aeſculapii, dedicatum, et, vt ALEX. DONATVS *in vrbe Roma lib. II. cap. 25. p. 150.* habet, imaginemque adeo huius templi ſiſtit, ab Octauio Herennio conſecratum, in quo medicina ab Hercule, *Somniali*, petebatur. vt nihil commemorem de eo, quod in antiquae vrbis imaginibus, a PYRRHO. LIGORIO, et, ONVPHR. PANVINIO, per XIIII. regiones deſcriptae, in quarta ipſa et decima regione, trans Tiberim, prope pontem ſublicium, neque procul a thermis Seuerianis, locus occurrat, qui inſcribitur HERCVLES CVBANS. conf. DONATVM *l. c.*

o) Orat. VIII. prope initium.

p) Obſeruat. in CALLIMACHI *hymn. in Dianam. verſ. 160. p. 242.* qui locum CHRYSOSTOMI graecum adducit.

§. VII

Dii PACIFERI. *pax et quies* συνωνύμως *sumuntur. pax Iouis. locus* STATII *interpretatus. Ceres pacifera. Mineruä. Hercules. Apollo. inscriptiones ex* GRVTERO *et* REINESIO *adductae. Mercurius. pacis, et, quietis, varia epitheta. templum pacis. pax Augusti in numis. Deus pacis. pax Dei.* ESAIAS *et* PAVLLVS *de pace Dei.*

NIHIL autem, frequentius est in veterum numis pariter, et inscriptionibus, quam egregium illud deorum, dearumue, epitheton, quod *paciferos*, illos, *paciferas*que nuncupat. Et, cum ipsa *Quies* eamdem, cum graeco εἰρήνη, notionem obtineat, quod tamen vocabulum per *pacem* vulgo, necque illud quidem male, meo iudicio, vertunt, graecam, age, prius adpellandi rationem τῆς εἰρήνης, et *pacis*, priusquam ad latinam, *Quietis*, perueniam, adspiciamus. vbi iam finem CALLIMACHVS[q] hymnis inponit, precatur prius a Cerere, Φέρε στάχυν, οἶσε θερισμόν, Φέρβε καὶ εἰράναν. pacem nempe publicam Battiades, et tranquillam quietem, Cereris donum benignissimum, intelligit. Notatu dignissimi numi sunt, quos, qui in omni litteratura primas tenet, saepius iam laudatus πολυμαθέστατος SPANHEMIVS[r] exhibet, vbi εἰρήνη, *pax*, siue *quies*, sub vulgaribus Cereris imaginibus depingitur, mulieris nempe, cum duabus spicis, ex eius gremio surgentibus, addito insuper, insigni admodum deae ornamento, corona spicea. Subiectus oculis tuis est, L. B. in fronte dissertationis, Agrippinae, Claudii coniugis, numus elegantissimus, cum inscriptione ΕΙΡΗΝΗ. L. IB. et alius, Titi, addito eodem vocabulo, ΕΙΡΗΝΗ. quod siue per *quietem*, siue per *pacem*, reddideris, idem erit, nam et *pacis* vocabulum saepius pro *quiete* et *tranquillitate* apud latinos sumitur. Ita enim de Ioue STATIVS[s]: *Iunonem tacitam furibunda silentia torquent,*

non

q) *Hymn. in Cererem vers. 137. 138.* ad quem locum confer, sis, NICODEMI FRISCHLINI *adnotat. p. 454. edit.* SPANH. r) *p. 748.*

s) *Thebaid. lib. X. vers. 890.* CASP. BARTHIVS egregie *in animadu. Tom. III. p. 1874. Ioui*, dicit, *vt summo omnium numini, tranquillitas tribuitur grauitate serena et inperturbata omnia moderanti.* Sed hoc ad animum Iouis, non ad

corpus

non tamen haec turbant PACEM IOVIS. immo vero, per *pacem*, communissima significatione, ista omnia bona designantur, quae pacis tempora nobis conferunt. *At nobis* PAX *alma veni*, SPICAM*que teneto*, verba TIBVLLI[t] sunt, quae apprime cum his imaginibus conuenire, et, concordare adcuratissime, videntur. PACIFERAM deam, porro LVCRETIVS[u] *Venerem*, facit, *nam tu sola potes tranquilla*[x] PACE *iuuare mortales.* et in veteri marmore, cuius, vt in ruinis fori Romani superiori saeculo reperti, PYRRHVS LIGORIVS, in collectionibus ineditis, meminit, a SPANHEMIO[z] tamen euolutis, in hoc, inquam, marmore, *Minerua* etiam PACIFERA vocatur. en! ipsam tibi inscriptionem! MINERVAE. PACIFERAE. L. TITINVS. L. L. AMAZON. GRAMMATICVS. V. S. L. M. Sed ad alia, age. VAILLANTIVS *numum antiquum habet*, quo *Hercules Paciferi* nomen adeptus est, et elegantissimus BROVKHVSIVS ad TIBVLLVM[a] duas inscriptiones sistit, quae idem cognomen

corpus pertinet, de quo coepi in hac sectione dicere, cum in alteram, pacem Iouis reseruauerim. vid. et, quae ad *Thebaid. lib. V, vers. 116. in iisd. animadu. p. 76.* ex LVCRETIO, ENNIO, CLAVDIANO, aliisque, pro more suo, id est, cum vasto eruditionis adparatu, produxit. *t) Lib. I. eleg. XI. vers. 67.*

u) De rerum natura libr. I. vers. 32.

x) Pacis est sollemne apud probatissimae latinitatis scriptores epitheton, vt TRANQVILLA vocetur. Praeter hunc LVCRETIVM l. c. et aliis pluribus, CLAVDIANVS etiam, quem locum BARTHIVS adducit, de principe nobilissimo, et plane diuino, TRANQILLAQVE *magni* PAX *animi*, dicit. *quieti* etiam hoc vocabulum tribui, exemplo suo LVCANVS ostendit, *pharsal. lib. I. vers. 250.* vbi nempe transierat Rubiconem Caesar, aleamque nunc iecerat, cum iuuentus arma iam, penatibus suis adfixa, diriperet, vt bella, triumphos nullos habitura gereret, ita eamdem sub pectore querentem inducit: PAX *alta per omnes et* TRANQVILLA QVIES *populos. nos praeda furentum, primaque castra sumus.* en! clarissimum prorsus signum, vel ex vocabulis adiectis vtrique voci, *quietis* et *pacis*, quae conueniunt inter se maxima ratione! Alia *quietis* nomina lubens praetereo, ita enim apud STATIVM *Thebaid. lib. IIII. vers. 423. opaca quies* legitur, et apud LVCANVM *lib. VII, vers. 764.* quies *vesana* dicitur, et reliqua, quae certe tamen *paci* tribui non adeo promiscue possunt, opacam enim dici pacem posse vix existimarem, quamquam, quo sensu hoc loco dixit LVCANVS: *quos agitat vesana quies*, dici et *vesanam, pacem* posse, persuasum habeam.

z) P. 600. in obseruat. ad CALLIMACHVM.

a) Lib. II. eleg. V. p. 269. vide IAN. GRVTER. *corp. inscript. fol. 38. no. 7*

gnomen *Apollini* tribuunt, DEO. SANCTO. APOLLINI PACIFERO. altera, votum, Apollini Pacifero redditum, continet, quae legitur et ipſa apud REINESIVM[b], APOLLINI PACIFERO. EX. VOTO. LIBENS. SOLVIT. L. AQVILLIVS. cetera. quo et ſimili modo tantum non omnes, ſi a paucis admodum receſſeris, dii audiunt. *Mercurium* vero, grande nefas putarem, vbi ſilentio eumdem praeterire, aut meminiſſe non iuuaret, mirum omnino iſtum ineundae pacis artificem, quapropter catenulis non numquam aureis, quibus mentes audientium deuinciret, depingebatur, necque is mortales ſolum, ſed et inmortales, ſuperosque, inferosque, ſi quando diſſiderent, ad concordiam ſemper reuocans, caduceo ſuo, vim iſtam egregiam, facultatemque admirandam prorſus prae ſe ferre, et controuerſias quasuis dirimere adſolebat, quod quidem ab Apolline pacifero, cui lyram prius dederat, in ipſum collocatum munus, notius eſt, quam quod pluribus iam iam a me exponatur. Hoc tantum adiiciam, exſtitiſſe Romae, Foro proximum, in regione vrbis octaua, quae, vno vocabulo, forum Romanum, inſcribebatur, exſtructum poſt multa bella ciuilia a Caeſare Veſpaſiano Auguſto, magnificentiſſimum opus, et, vt PLINIVS[c] de eodem loquitur, *pulcerrimum operum, quae vmquam* molita ſunt ingenia hominum, templum PACIS, cuius egregiam imaginem ALEXANDER DONATVS[d] exhibet, et *quo*, *teſte* IOSEPHO[e], Hieroſolymitani templi vaſa, candelabrum et ornamenta repoſita fuiſſe, omnino, nobis conſtat. Quod tamen idem, centum circiter poſt annos, quam fuerat aedificatum, dubium ſeu fortuito, ſeu oblato incendio, principe Commodo, vt HERODIANVS et DION[f] tradidere, miſerrime exarſit, ſuisque flammis, aedem quoque Veſtae, plurima aedificia, vrbisque partes conſumſit.

 Cete-

b) *Inſcript. claſſe I. num. 274.*

c) *Hiſt. nat. lib. XXXVI. cap. XV.*

d) *De vrbe Roma Amſtel. 1695. edit. p. 170.*

e) *De bello Iudaico libro VII. κεφ. ιθ. ſ. verſion. latin. XXIIII. p. 979. edit.* THOMAE ITTIGII. μετὰ δὲ τοὺς θριάμβους καὶ τὴν βεβαιοτάτην τῆς ρωμαίων ἡγεμονίας κατάστασιν, ουεσπασιανὸς ἔγνω τέμενος εἰρήνης κατασκευάσαι.

f) Quos adducit DONATVS l. c.

Ceterum, matronae ſpecie, praeferentis ſpicas, vt vidimus, oliua, lauro, et aliquando roſis coronatae, Pax exprimebatur, qua figura in Romanis Caeſarum numis frequentiſſime occurrit, et ſicuti omnes principibus virtutes, libertas, pudicitia, concordia, pietas, et clementia tribuuntur, ita non raro numi excuſi ſunt, addita hac inſcriptione: PAX. AVGVSTI. tamquam alterius in terris Iouis paciſque auctoris, cum potiori iure *Pax Dei*, aut viciſſim *Deus Pacis* a ſacris vatibus aeque, ac apoſtolis, dicatur, et ab ESAIA [g] quidem: ὀυδὲ ἡ διαθήκη τῆς εἰρήνης σου ὀυ μὴ μεταςῇ. a PAVLLO [h] vero luculentiſſime itidem, καὶ ἡ εἰρήνη τοῦ Θεοῦ, ἡ ὑπερέχουσα πάντα νοῦν, Φρουρήσει τὰς καρδίας ὑμῶν ἐν Χριςῷ Ἰήσοῦ· et paullo poſt: καὶ ὁ Θεὸς τῆς εἰρήνης ἔςαι μεθ᾽ ὑμῶν· Digni ſane eſſent dii Paciferi, et Quietales, qui olim peculiari diſſertatione explicarentur, cum plura addere, inſtituti mei ratio iam non permittit.

§. VIII

Quies, dea. templum Quietis, Romae exſtructum. AVGVSTINVS *contra* STRABONEM *dicit. opinio* VOSSII *melior. numi, quibus Auguſti quies exhibetur. et Iupiter Quietator. ara Quietis. ara Tranquillitatis. adfinia quietis. Somnus, deus. formula:* placide quieſcas. *inſcriptio ex* BOSIO *adducta:* adquieſcit in ſomno pacis. *locus* CICERONIS, *de quietis caeleſtium diebus.* HORATII: *quieti deorum ordines.*

CVM ſecundum MINVCIVM FELICEM [i], cuncta orbis vniuerſi numina Romae fuerint, mirum certe non eſt, et ipſam Quietem, deam tam exoptabilem, tamque iucundam, proprium ſibi ad vrbem domicilium, fanumque in ditione romana habuiſſe. Auctor non contemnendus LIVIVS [k] eſt, qui vbi C. Sempronius, poſtquam inconſulte cum Volſcis congreſſus, fortiter tamen a Tempanio liberatus fuerat, in vrbem iam ingrederetur, *cum haec agerentur*, refert, *iam conſul via Lauicana ad* FANVM QVIETIS *erat.* Miror tamen cum AVGVSTINO,

g) *Cap. LIIII. com. 10.* h) *Ad Philipp. IIII, 7. 9.*
i) *Cap. VI, num. 3. 4. 5.* k) *Hiſtor. Rom. libr. IIII. cap. XXXXI.*

NO [l], quod, cum omnibus ceterum diis, deabusque publica ſacra Romani fecerint, *Quietem vero adpellantes, quae faceret quietem, publice illam ſuſcipere noluerint.* Habuit tamen aedem ſuam, extra vrbis pomoeria, in via admodum illuſtri, quae ad oppidum Latii Lauicum, ſiue Labicum [m] ducit, extra portam Exquilinam. Non tamen omnes hic conueniunt. quod ſi enim AVGVSTINVM [n] conſulas, et magnum illud eruditis nomen, ALEXANDRVM AB ALEXANDRO [o] conferas, extra portam non Exquilinam, ſed Collinam potius, auctores tibi erunt, aedem ſuam, iſtam Quietem, deam, habuiſſe, quamuis horum ſecundus in via Lauicana concedat fanum ſacrum exſtitiſſe. Ita enim AVGVSTINVS laudatus, *Quietem vero adpellantes*, ait, *quae faceret quietem*, *cum aedem haberet* extra portam Collinam, *publice illam ſuſcipere noluerunt.* et ALEX. AB ALEXANDRO: *Naeniae quoque ſacellum*, inquit, *quod cantu querulo funeribus praeeſſet, pari exemplo ab vrbe ſemotum, extra portam Viminalem, ſtatuerunt, ſicut fanum Quietis, via Lauicana.* et alio loco, vbi, quae portae vrbis Romae praecipuae fuerint, diſquirit, *Collina quoque*, pergit, *quae Agonenſis dicta eſt, propter anfractus multiplices, quod partim edita, partim decliuia eſſent loca, nomen ſortita dicitur*, extra quam *Veneris Erycinae*, *et* Quietis templum *fuere*, *et iuxta, campus, cui ſcelerati nomen fuit, in quo inceſti damnatas viuas defodere Veſtales adſueuere.* Qua diſſenſione opinionum VOSSIVS [p] perſpecta, maluit, cum inter portam adeo Exquilinam et Collinam, interiecta plane tertia aliqua, Viminalis, fuerit, ad STRABONIS potius partes diſceſſionem facere, quam lateri ſemet, praeſulis venerandi, eiusque perquam eruditi commentatoris, LEONARDI COQVAEI [q], AB ALEXANDRO ſequentis, adplicare, cuius iam et ego veſtigia ſequor, et antiſtitem ſan-

l) *De ciuit. Dei lib. IIII. cap. XVI.*

m) Conf. qui de *Via Labicana* erudite dixit, LVCIVM FAVNVM, *in antiquit. vrb. Rom. l. I. c. 12. 13. in theſ.* SALLENGRIAN. *T. I. p. 200.*

n) *Loc. cit.* o) *Dier. genial. Lib. II. c. 4.*

p) *De origine et progreſſ. idololatriae libr. III. cap. XVIIII. p. 813. edit. Amſtelod. 1642. ap. Blaeu.* q) *Comm. in h. l. p. 72.*

ſanctum valere aliquantiſper iubeo, ſecutus potius, quam produxit, quae Romanos inpulerit, rationem, quare tandem, extra portas, Quietem eſſe voluerint, quoniam ſcilicet victor populus pacis erat, quietisque, cum maxime inquietus. Hinc recte magnus VOSSIVS ſacra Quietis cenſet publice neglecta, *quia ſegnium videretur, amare quietem magis, quam laborem.* Ceterum, cum claſſes fecerint, qui deorum fabulas expoſuere, ſcriptores, deorum, naſcentibus praeſidum, parturientibus etiam, praegnantibus, nuptialibus, et quibus non? in hanc claſſem Quietem deam retulerunt, quae adultis praeſit, ipſisque quietem faciat. qua et ipſa adpellatione imperatores, delatis vltro ad ipſos hiſce nominibus, interdum in numis inſigniuntur, et in primis hoc factum eſſe, cernimus, in Maximiliano Herculio, Maxentii patre, et Diocletiano, eius collega, poſt abdicatum nempe ab iis imperium. Scilicet numi exſtant, quibus hi imperatores SENIORES, FELICISSIMI, OPTIMIQVE nominantur, et in auerſa parte memorabiles ſane inſcriptiones leguntur, quibus illa eorum abdicatio ad poſterorum memoriam conſignatur, PROVIDENTIA. DEORVM. QVIES AVGG. vel, REQVIES. OPTIMORVM. MERITORVM, vel QVIES. AVGVSTORVM, et alius, cum IOVIS EFFIGIE, QVIETATORI. AVGG.[r] Duos ſiſtit, a BEGERO[s] excuſos, vir, praetioſior ille infinite, omni numiſmatum theſauro, et vere inmortalis, L. B. DE SPANHEIM[t], quorum prior eſt Diocletiani, cum capite laureato, et inſcriptione: IMP. DIOCLETIANO FELICISSIMO. SEN. AVG. et illinc duae figurae exhibentur, ſtantes, virilis altera, altera muliebris, ſpicamque, haſtamque tenentes, cum inſcriptione PROVIDENTIA. DEORVM. QVIES. AVGG. quam ita explicat BEGERVS[u] eruditiſſimus:

r) Hunc numum, excuſum, numquam, quamuis diligenter quaeſiuerim, inuenire potui, qui certe egregie noſtram diſſertationem ornaturus fuiſſet, cum IOVIS effigiem cum titulo QVIETATORIS exhibeat.

s) *In continuat. theſauri Brandeburg. p. 778. 779.*

t) In immortali opere, *de vſu et praeſt. numiſm. Vol. II. diſſ. XII. p. 513.* u) l. c.

mus: *prouidentia deorum, ea adferitur, esse quies Augustorum.* mallem ego ita potius: *prouidentia deorum*, id est, deorum auxilio, diisque iuuantibus et prospicientibus, *quies Augustorum impetrata est.* posterior autem est Maximiani, cum inscriptione DIVO MAXIMIANO. SEN. P. OPTIMO, in cuius auersa parte mulier velata sedet, dextra protensa, et scipionem sinistra tenens, addito hoc emblemate: REQVIES. OPTIMORVM. MERIT. Ipse IO. VAILLANT [x] numum graecum in Neronis illis habet, cum hac figura optime conuenientem, vbi nempe caput *pacis* velatum, aeque, vt hic *quietis*, exhibetur, et in fronte verba ΕΙΡΗΝΗ. L. A. conspiciuntur, propter consensum istum, quem paci, cum quiete, antecedente §. tribuimus, omnino hoc loco commemorandum. ipsi vero numi, in aere, ad frontem dissertationis, conspiciuntur. Tandem, hoc adhuc monebo, inter fragmenta AELIANI [z] ex libro περὶ προνείας, quae EVSTATHIVS nobis conseruauit, ARAE apud Gades exstructae, mentionem fieri, AD CVLTVM COMMVNIS QVIETIS, quae quidem verba, quamuis magis cum *Morte* conueniant, tamen adducam: ἐςὶ δὲ, dicitur, καὶ γήρως φησὶν ἱερὸν, τοῖς ἐκοῖ, τιμῶσιν τὴν ἡλικίαν τὴν παθοῦσαν πολλὰ, καὶ θανάτου ἄλλο, ΕΙΣ ΓΕΡΑΣ ΤΗ ΚΟΙΝΗ ΑΝΑΠΑΥΛΗ, ειτουν τῷ τελευταίῳ ὅρμῳ. et alius adhuc arae, sub Constantino M. *Tranquillitati* erectae, A. V. C. ∞LVII. et P. N. C. CCCV. cui, referente hoc PETRO BERTHALDO [a], ex GVILLELMI CHOVII libro, gallice, de Romanorum religione, scripto, subiecta haec fuit inscriptio: CONSTAN. AVGVST. BEATA. TRANQVILLITAS. VOTIS. XXP. T. R. et, quamuis non desint, qui id intercedere, inter quietem, tranquillitatemque, discriminis, existimant, cum COQVAEO [b], referri nimirum ad corpus, quietem, et, tranquillitatem, ad animum, ita tamen,

x) *In numismat. imperator. Caes. et. Augustarum a populis Rom. dition. graece loquentibus.* Amst. 1700 *p. 19.* z) Fragment. vltim.

a) Libro de ara cap. 2. p. 361. insertus est thesaur. GRAEVIANI *Tom. VI.*

b) *Comment. in* AVGVSTIN. *lib. IIII. de ciu. dei c. 16. p. 73.*

men, eodem vltro fatente, fluctuare veteres scriptores circa harum vocum vsum videmus, vt constitui posse hisce vocabulis ex mente vulgi, termini, vix ac ne vix quidem videantur [c]. Tandem vero adiiciam, morti, *quietis* vocabulum per εὐφημισμὸν tribui, immo vero *somni* adeo, et *soporis* [d]. defunctis porro *quietem* adprecatos esse veteres, *et bene, discedens, dicet, placideque* QVIESCAS, quod notum est. in vetustis inscriptionibus passim legitur, HIC ADQVIESCIT [e]. saepe occurrit, QVIETIS MANIBVS. et IACOBVS BOSIVS, eques, elegantissimam commemorat, quae haec verba habet: ADQVIESCIT. IN. SOMNO. PACIS. Istam vero religionem, pietatemque erga mortuos cum veteres tantum non semper proderint, vt tam

c) Commemorantur a quibusdam *ministri quietis*, et alio vocabulo *silentiarii*, quorum hominum munus, ne quis putet circa sacrorum operationem versatum fuisse, adducendum vel verbulo fuit, clarissimos tamen, et spectabiles viros fuisse, circa latus imperatoris militantes, vt *tit. cod. de inofficioso testam.* habet, et quos nominat SALVIANVS *de gubernat. Dei lib. IIII.* PROCOPIVS *de bello Persic. lib. II.* CVRTIVS adeo *libr. VI.* PIGNORIVS, BRISSONIVS, MEVRSIVS, aliique, operose, cum nihil ad institutum nostrum faciunt, haud adducendi. Haec, vt γνησίως erudite loquar, ὡς ἐν παρόδῳ.

d) *Carmin. lib. I. od. XXIIII. lin. 5.* et in CALLIMACHI *epigramm.* quae RICH. BENTLEIVS collegit *epigr. X. p. 192. ed. Spanh.* legitur. Τῇδε Σάων ὁ Δίκωνος Ἀκάνθιος ἱερὸν ὕπνον κοιμᾶται· θνήσκειν μὴ λέγε τοὺς ἀγαθούς. HORATIVS *Carm. lib. III. od. XI. l. 38. Surge, ne* longus *tibi* somnus, *vnde non times, detur.* Ipse Seruator, κατ' εὐφημισμὸν, mortem, benigniore *somni* vocabulo ad *Ioan. XI, 11.* adpellat: Λάζαρος φίλος ἡμῶν κεκοίμηται. et NONNVS *in paraphrasi* ὕπνον ἀναγκαῖον καὶ ἀμεμφέα, vertit, Λάζαρος εὕδει, discipulis enim, qui περὶ τῆς κοιμήσεως τοῦ ὕπνου, vt est commate 13. dominum loqui putabant, manifeste postea, Λάζαρος ἀπέθανε, fatetur. Apud AESCHYLVM mortui εὕδοντες dicuntur, ipsumque sepulcrum a LYCOPHRONE εὐναστήριον vocatur. CATVLLVS ita ad Lesbiam suam *carm. V. vers. 56. Nobis cum semel occidit breuis lux,* nox *est perpetua vna* dormienda. Quia enim mortuis, qui dormiunt, sunt similes, vnde et mortis frater, somnus, audit, profectam hinc istam loquendi rationem esse certum est, et MEVRSII *comment. in Lycophronis Cassandr.* passim edocet. Ita etiam Apollinis oraculum, Appio apud LVCANVM *V, 194.* expositum *Effugis ingentes tanti discriminis expers bellorum, Romane, minas, solusque* quietem *Euboici vasta lateris conualle tenebis.*

e) In libro itidem rarissimo et eleganti: *Crux triumphans et gloriosa.* Antwerp. *1617. edito. fol. p. m. 630.* quae tamen inscriptio, referente eodem BOSIO, sexagesimo demum anno, circiter, post Constantini, imperatoris, obitum, incisa fuit.

tam crebro QVIETEM pariter, PACEM, et SOMNVM ipsis exoptauerint, eo me cogitando perduxerunt, vt, factum id propterea fuisse credam, quoniam, qui ex hac vita migrassent, ad deos putarunt, certe voluerunt, venire, vitam beatissimam, quietissimamque degentes, distractos nullis curis, et anxietatibus, expertes porro labore molestissimo, et secum ipsis contentos. Ea qua propter haesitauit in animis antiquorum cogitatio: quietos dies dii celebrant, quibus, vt post mortem meam intersim, ego vero, et mihi, meisque, adprecor. Dicta sane egregia! modo bene sese habeat, quae coniuncta est cum hisce vocabulis, meditatio. Certe confirmat mentem meam CICERO[f], qui, postquam de manium iuribus, religioneque sepulcrorum coeperat dicere, *necque vero*, pergit, egregie in rem meam, *tam denicales, quae a nece adpellatae sunt, quia* RESIDENTVR *mortui, quam ceterorum* CAELESTIVM QVIETI DIES, *feriae nominarentur, nisi maiores, eos, qui ex hac vita migrassent,* IN DEORVM NVMERO ESSE *voluissent.* quibus verbis, quid clarius est, quam eumdem innuere, etiam quietem mortuis a veteribus propterea optatam esse, quoniam et dii, ad quos iam peruenturos esse, credebant, placidissime itidem quiescerent? Ipsa adeo Iuno apud HORATIVM[g], seditionibus iam Troianis compositis, nepotem suum, Romulum, decernit, finito imperio suo, diis quietis adscribi: *illum ego lucidas inire sedes*, dicit, *ducere nectaris succos, et adscribi* QVIETIS ORDINIBVS *patiar* DEORVM. Sed videntur iam hae, ex prudentiorum sententiis, de quiete Dei, esse, mox a me considerandis, necque tam crassa, somni cuiusdam deorum, opinione niti[h].

§. VIIII

f) *De legibus. lib. II, cap. 22. p. 780.*

g) *Carminum libr. III, od. III. vers. 33. reliq.*

h) Adiungamus diis egregiis, qui in dies stertunt, diem quamdam, apud Romanos sollemni *requietionis* adpellatione insignitam, vt quid tandem Martis ille, deorumque populus didicerit, a parentibus suis, pateat. Inter festa, Romae cellebrata, vnum erat longe nobilissimum, necque sine maxima sollemnitate transigendum, magnae deorum matris, Cybeles, honoribus, per dies quattuor festiue admodum sacrandum. quarum sibi prima, *diei sanguinis* vindicauerat nomen, quoniam sacer-

dotes

§. VIIII

Meditatio circa ſomnum et quietem deorum. finis ſectioni primae inponitur.

QVI enim ſomnum diis, meridiationemque tribuunt, aut totos eosdem homines faciunt, corporibusque, tamquam carceribus ſuis, includunt, aut, quid ſibi tandem velint iſthac praeclara ſcilicet opinione, egregie neſciunt, niſi forte, aut, quod de inceſto deorum concubitu putat IAMBLICHVS[i], et iſtum ſomnum fieri iuxta aliam longe cauſſam, aut ordinem, omnibus naturae legibus ſuperiorem, exiſtimauerint, aut, ſicut Cotta apud CICERONEM, in Epicureo deo, non res, ſed ſimilitudines rerum[k] videbat, ita et hi non ſomnum verum, diis, ſed quemdam quaſi ſomnum, adtribuerint. Qua quidem ratione, largior, quod ſi vel maxime omne imbecillitatum principium conceſſerint bonis diis, ſeque in errorum laqueos et labyrinthos coniecerint, vt, quo ſe expedire, extricareque, modo, poſſint, vix habeant, tantum tamen abeſt, quin ita ſe explicent, vt potius, quid amplius deſiderari

hac

dotes deae, Galli, caſtrati homines, miſerrime corpus lacerando, cruorem fundebant. Peracta hac die, inſequebantur *Hilaria*, quae proprio vocabulo ita nuncupantur, vti MACROBIVS *Saturn. lib. I. cap. XXI. p. 367.* et ad *Vopiſci Aurelianum* SALMASIVS *cap. I.* renuente tamen, quamuis nullo iure, CASAVBONO, *ad Lamprid. Seuerum cap. XXXVII.* profitentur. Ingenti pompa, vagabundus, graſſatorum inſtar, per vrbem, populus, diſpergebatur, non denegata, ipſi ludendi, potandi, amandi, reliqua, poteſtate. Ita vero, cum miſere ſtomachum cibis iniurgitaſſent, ineptos omnibus laboribus, laſſos penitus, atque proſtratos, excipiebat *requietio*, tertia dies Berecynthiae ſacra, qua ad mediam diem dormire, et ad id natos eſſe, perſuadere ſibi poterant, vt nihil agerent. de ipſo Iuliano, AMMIANVS MARCELLINVS, quamquam non ſatis diſtincte dies, quibus quodque factum ſit, internoſcat, tamen *p. 413. Opp Scriptor. hiſt. Rom. lat. minor. ed.* FRID. SYLBVRGII *ap. Wechel. 1588. fol.* refert, ſe ea die, qua matri deorum pompae celebrentur annales, et carpentum, quo vehatur ſimulacrum, Almonis vndis ablui perhibeatur, interfuiſſe, *quo ſacrorum ſollennitate priſco more completa*, pergit, *ſomno per otium capto laetum pernoctauiſſe.* Vltima dies *lauatio* dicebatur, quo dea vndis Almonis lauabatur, reliqua. conf. ARNOBIVM *aduerſus gentes lib. VII.* et STATIVM *ſiluar. lib. V. verſ. 1.*

i) *De myſteriis, Sect. IIII. cap. XI. p. 114. ed.* TH. GALE *Oxon.* εἰ νόμων μὲν ἐκτός, κατ᾽ ἄλλην δὲ κρέιττονα τῶν νόμων αἰτίαν καὶ τάξιν ταῦτα γίνεται. ἢ εἰ καθ᾽ ἁρμονίαν μὲν καὶ φιλίαν ἐν τῷ κόσμῳ, κατὰ δὲ τινα συμπαθῆ κρούσιν ἐπὶ τῶν μερῶν τὰ τοιαῦτα συμβαίνει· ἢ εἰ καλῶς διδομένων μεταστρέφεται ἡ δόσις τῶν καλῶν ὑπὸ τῶν λαμβανόντων ἐπὶ τἀναντία.

k) *De natura deorum lib. I, cap. 24. p. 490.*

hac tam belle eleganterque adducta caussa, possit, audacter admodum, hominibus, sui similibus, persuadeant. Nam primum omnium, verum est, quod ne ipsi quidem negabunt, corporibus indui debere deos suos, iisque eiusmodi cessationem tribui, et hebetationem facultatum animalium, quae in somnum eos coniicere, refectionemque iisdem tam prostrati corporis, et abiecti, suadere oporteat. necessum porro est, quod vltro fatebuntur, quantumuis nectare et ambrosia mirifice resarcire defectum velint, plus tamen secedere virium inter vigilandum his diis suis, quam accedere, istamque adeo lassationem excipere ita naturalem quietem, qua consumti spiritus reficiuntur rursus et confirmantur, necessario omnino oportere, vt alacriores inde, magisque idonei ad imperium huius vniuersi suscipiendum, quod absque rectore interim, et gubernatore, *fuit, infirmissimi hactenus dii*, redderentur. Quid autem absurdius est, aut quid magis ab omni intelligentia alienum, quam tenebris deum, caligineque opaca, tamquam gurgustio, circumsepire, vt, qui lux tota esse debeat, lucem tamen adspicere aliquantum haud possit? quae delirantium somnia absurdiora esse possunt, his, et poetarum, et reliquorum scriptorum, commentis, qui, vt omnia diis portenta adtribuerunt, ita et fecerunt, vt eorum somnum, quietem, meridiationemque, videremus? vt eosdem nullis omnino occupationibus implicatos, indulgentes solummodo suis voluptatibus, atque torpore, conspiceremus? Hunc sane deum pie sancteque veneremur! naturam excellentem atque praestantem! a quo, cum omnia bona precibus nostris votisque impetrari posse putabamus, qui nec audire per somnum religionem nostram, nec votis nos damnare, vllo modo potest. Nonne, quaeso, magis, quam turba petulans ranarum, tignum, inutilem regem, qui fuerat a Ioue datus, hic potius deus, et multo maiori cum iure, omni contumelia, dignus esset, qui inquinetur, nisi potius cum apro, retrahente generosum impetum, diceremus: *sed inquinari nolo ignauo sanguine.* Ego vero, mihi ipse displiceo, cum iam nimius fuerim in explicanda veterum opinione eiusmodi, quam, bellum est aliquantulum, si

ſcias, quod ſi vero minus, non adeo magni momenti re ereptum te eſſe dolere poteris, quamuis alii, *monumentum*, id, *aere perennius*, cum HORATIO, adpellauerint. Ceterum, cum ſemel fatis ita conſtitutum fuit, vt ex hiſtoria antiqua, et ſcriptoribus antiquis, quietem Dei illuſtrarem, quae ſunt a me adducta, ea et ipſa adducenda fuiſſe, equidem arbitror. Nempe, vbi meridiatum iuere dii, conſiderari debebat, quid interim abſque rectore mundus, et gubernatore, fecerit, hinc vexatum eumdem miſere, conſpeximus, laeuis numinibus, et excruciatum meridianis daemonibus atrociſſime. porro, deos ſtiti, quibus nomen erat *Quietalibus*, et *Somnialibus*, partim, quoniam quietem ſomnumque aliis faciebant, inpoſitum, partim vero etiam, quod ipſi aliquantulum quietem placidam amare, et reficere corpus laſſum ſolebant. Noctu in primis *vigilaſſe numina*, quaedam vero ne ipſo die quidem dormire potuiſſe, explicaui. qui intercedere mihi conſenſus, inter PACIFEROS deos, et *tranquillos*, et inter QVIETALES videbatur, eum, quantum potui, cum cura indicaui. Quietis templum et Pacis intraui poſtea, numosque elegantes, in quietem Auguſtorum, tamquam deorum[l] in terris hiſce cuſos, admiratus ſum. Tandem vero etiam, quas res adfinitate coniunctas habuiſſe aliquam, cum quiete iſta, conuenientiam, putauerim, adieci, et iſta omnia a quiete Dei originem ſuam repetiiſſe, ex CICERONIS, HORATIIque locis, probatum dedi. Pergo iam lubentiſſime ad reliqua, probe memor illius, PHAEDRI, *niſi vtile eſt, quod facimus, ſtulta eſt gloria*, quam tamen, vel hac ipſa ratione, auolutam a me, et quam longiſſime remotam, cupio.

l) Imperatores, notum eſt, apud Romanos in ſummo ſemper honore, ſummaque perpetuo veneratione fuiſſe. Ita Auguſto aeque, ac Ioui, vota apud Nemauſenſes Arecomicos nuncupata, et vetus marmor, SANCTITATI. IOVIS. ET. AVGVSTI. SACRVM, videbis apud GAILLARDVM GVIRANVM *in explicat. numiſmat. Nemauſenſium p. 1032. Tom. I theſ.* SALLENGR. et apud IAN. GRVTERVM *corp. inſcript. fol. X. num. I. ed.* GRAEVII. Eodem ſe modo ſupra adductus, *ſ. VIII. p. XXXXVI.* numus habet, quo ſiſtitur *effigies Iouis*, addita inſcriptione: QVIETATORI AVGG. et alia, in eumdem modum, apud GRVTERVM, inſcriptio: PACATORI ORBIS.

SECTIO

* *

SECTIO. II

PHILOSOPHORVM. PLACITA DE. QVIETE. DEI

§. I

Cognitio rerum diuinarum triplex. deorum multitudo adſumta apud antiquos, ne quies animi diuini perturbaretur. ſomnus diis datus, vt corpus reficeretur. dogma, de quiete Dei, num ante diluuium viguerit? num apud CHALDAEOS *in vſu fuerit?* MORI, *et* RAPHSON *doctrina, de ſpacio, vt Deo, Chaldaeorum opinioni, de quiete Dei, haud abſimilis*



IN tanta, tum populorum, ac temporum, diuerſitate, tum humanae mentis, in contemplatione rerum magnarum, atque ſublimium, caligine ſupina, et ignorantia, cum variae, diſſonaeque nimium, de diis, ſententiae, et ſermonibus ſpargerentur in vulgus, et litteris memoriae proderentur, omnem omnino diuinarum rerum cognitionem, iam dudum et olim, in tres veluti ordines, et quaſi claſſes diſpeſcuerunt. Non contemnendi ſunt, in confirmanda iſthac diſtributione, auctores, PLVTARCHVS[a], et AVGVSTINVS[b], ſuffragante itidem EVSEBIO[c]. Primam ſcilicet a vetuſtiſſimis

poetis,

a) *De placitis philoſophorum lib. I. cap. 6. p. 879. ſeq. edit. Francof. Opp. Tom. II. Wechelianor. de an. 1620.* Verba haec ſunt: διόπερ οἱ περὶ τῶν θεῶν παραδόντες σεβασμὸν, διὰ τριῶν ἡμῖν ἐξέθηκεν εἰδῶν, πρῶτον μὲν τοῦ φυσικοῦ, δέυτερον δὲ τοῦ μυθικοῦ, τρίτον δὲ τοῦ τὴν μαρτυρίαν ἐκ τῶν νόμων εἰληφότος διοικεῖσθαι. διδάσκεται δὲ τὸ μὲν φυσικὸν ὑπὸ τῶν φιλοσόφων, τὸ δὲ μυθικὸν ὑπὸ τῶν ποιητῶν, τὸ δὲ νομικὸν ὑφ᾽ ἑκάστης ἀεὶ πόλεως συνίστασθαι conf. GEORG. HORNIVS *in hiſtor. philoſoph. lib. III. cap. VII. p. 159.* qui tamen *cap. III. p. 144.* theologiae nomine, ait, Graecos complexos fuiſſe mythica, hiſtorica, phyſica, et ciuilia.

b) *De ciuit. Dei lib. VI. cap. 5. p. 64. edit. Theolog. Louanienſ. Colon. 1616.*

c) *In praefatione praeparat. Euangel. libri IIII.* vide etiam, qui prolixe admodum haec omnia explicauit IO. OVVENVM, *de nat. ortu et progreſſ. Theologiae. lib. I. cap. 8.* et confer S. R. IO. GOTTL. CARPZOVIVM, Lubecenſem, *in diſſ. de vet. philoſophor. circa naturam Dei ſentent. §. I. ſeq.*

poetis, *Orpheo*, *Homero*, atque *Hesiodo*, istam suam, minus tamen commode, ad res sacras, fingendi licentiam transferentibus, innumeris refertam cumulatamque fabulis, μυθικὴν, sollenni vocabulo, cognominarunt. quam vero, adeo foedam, adeo sordidam, fabularum spurcitiem, cum philosophi erubescerent, imamque, ex naturae, rationisque lumine, falsitatem, agnoscerent, aliam longe viam ingressi, reiectis, istiusmodi generis, anilibus figmentis, et secutis ratiocinationem suam, quam firmis, solidisque confirmare argumentis allaborauere, eam scientiam Φυσικὴν adpellauerunt. tandem vero etiam, quam, in sacris institutis, singulae ciuitates, et legibus obseruabant, et consuetudine, doctrinam, vocatam eam πολιτικὴν fuisse, memoriae proditum est. Nullum certe tam grande inter mortales nefas, tam horrendum, inter pessimos nebulones, facinus fuit, non caedes fuit, non adulterium, non rapina, quae non omnia in primo isto, sanctissimae theologiae, et egregio genere, a diis suis, largissimo, vberrimoque cumulo patrata, poetae, aliique, horum vestigia sequentes, pro libidine cecinissent [d], tantaque tamen scelerum foeditate obrutos, et tantum non obpressos, deos suos, laudibus, hymnisque, et sacrificiis concelebrassent. nulla excogitari labes, nulla imperfectio potuere, quae naturam omnem, vimque diuinam tollere sueuere, si non praecipuum caput in hac theologia absoluerint. Inuolucris tantis fabularum, tanta fictionum copia laborat, et paene non obpressa est doctrina haec, vt in ea rerum stultitia, verique et falsi confusione, qui certi quidquam eruere, dignoscereque potest, hominis, multum videntis, laudem, tantum abest, vt non nancisceretur, vt potius eminere prae reliquis, vt eminet hircus inter capellas, et inter cognomenta Iouis, nomen *stercorei*, certissime videatur. Quod hanc sectionem, ad quam scribendam me accingo, antecedit caput, in eo, iniurius in me foret, qui istud

d) *videt Iupiter periuria amantum*, OVIDIVS loco quodam canit, et quem facinora Iouis, ab eodem poeta decantata, latent? repleti sunt omnes antiqui scriptores, deorum sceleribus, et mythographi omnes vetant illi omnino vlla nos ex parte dubitare. vid. APOLLON. *Argonaut. IIII. n. 793.* HORAT. *Carm. lib. III. 16. lin. 7. quod non tutum iter, et patens, conuerso in pretium deo?*

istud mihi memet sumsisse, contenderit, vt, quae de quiete, et somno deorum, ex historia mythica, adduxi, ita ordine comto, et eleganti tradiderim, vt, quid tandem statui de istis opinionibus possit, nemo habeat, quod desideret. Nisi ego nimium agere caussae meae patrocinium visurus essem, adsumtam, primo, deorum multitudinem, contenderem, apud veteres, propterea esse, quoniam, quando vnus Deus gubernare hoc vniuersum, mundique machinam rotare debeat, quietem eius, turbari nimium putauerint. hinc et factum esse arbitror, vt certam vnicuique Deo mundi portionem, certumque districtum, quo se, tamquam cancellis suis, terminisque, inclusus, continere deberet, adtribuerint. nam caelum Ioui, Neptuno mare, infernum Plutoni dederunt. quamuis vnius Dei notionem minime remotam ab illorum mente fuisse negauerim. cum enim Ioui fere omnia, seu fato cuidam, quod auxiliatrices manus minime patiebatur, subiecerint, id et antiquissimi mortalium, cum sagacioribus postea philosophis, *Platone*, *Cicerone*, *Seneca*, et, qui vnum Deum crediderunt, aliis, commune habuisse persuasus sum. Ipse enim, vt erat tamen limati iudicii homo, *Epicurus*, nihilo minus ex sua meditatione, cum beatitate diuina, et tranquillitate, siue quiete, curam rerum mundanarum haud adeo conuenire, sed repugnare potius eidem cum maxime, statuit [e]. Qui igitur minus ingenio eumdem et doctrina conueniebant, quid mirum est, vt exercitum et cohortes deorum stiterint, humanis, cum praestantius fingere humano nihil poterant, corporibus, indutorum, necque quiete sua, hoc est, somno, vt vidimus, destitutorum? Immo vero, quos iam contemplamur, philosophos magni nominis, ne ipsos quidem saepissime ab ipsa, corpus Deo concedendo, labie, purgatos, sed inquinatos omni spurcitie, deprehendimus. Promiscue, igitur, age, ordinem, quantum fieri potest, temporis potissimum, seruans, et, vt erit commodum, regionum etiam, vel vtriusque simul, rationem habebo. Necque vero a risu iam incipere,

et

e) *Vide §. XII. dissertationis nostrae.*

et facetiis multis ,multisque gerris hanc diſputationem condire placet, ſiue, vt clarius dicam, ab *Adamo*, id quod multi in magno crimine ponunt, niſi, quem ſacrae litterae peccati faciunt, omniumque miſeriarum auctorem, ſcientiarum etiam ab ipſo originem deducant, ab Adamo, inquam, non placet ordiri. Hic enim, quamuis proximus eſſet, et primus, qui veram Dei veri quietem expertus eſt, creatis enim rebus omnibus, ipſoque homine iam ficto ex terrae gleba, κατέπαυσεν ὁ Θεὸς τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ ἀπὸ πάντων τῶν ἔργων αὐτοῦ, ὧν ἐποίησε [f], cum quae Deo, et ſibi, et vxori, debuit officia, quoniam tantum abeſt, vt ex philoſophica cognitione, vbi ex ſuis principiis ad Logicae praecepta arceſſuntur reliqua, et demonſtrantur, tum et profluxiſſe, iſtam, de quiete Dei exiſtimem, quo magis bonos quosdam homines ſuo ingenio abundare circa *iſtam rem noui*, eo magis pientiſſima iſta figmenta, (nolite, qui aliter ſentitis, iraſci,) ego vero contemno. Huic ſententiae etiam mens diſſimilis circa omnem, ante diluuium, cognitionem, vt verum fatear, minime a me nutritur. Cum enim, poſt eiectos ex paradieſo primos homines, inter paucos adhuc humano genere perſiſtente, in duas ſectas ſciſſam eſſe per Kainum, peſſimam optimi patris prolem, philoſophiam, vulgo ſtatuant [g], ne ipſo SELDENO [h] quidem, docto Iupiter! et laborioſo homine, excepto, Sethique adeo familiam, Dei filios, hanc, hominum, continuiſſe, quarum hanc inter doctrinae ſuae capita, quae IVDAS [i] apoſtolus habet, ipſas, mirum! Epicureorum placitorum de negata diuina prouidentia, et quiete eius perpetua adſerta, radices egiſſe exiſtimant, mortalia enim curari a Deo minime, dixiſſe feruntur, nec ira, peccatisque tangi eumdem, nec gratia adfici, vnde adeo ſecus longe, ac iſti ex Adami ſchola Sethique profecti, בני אלהים de diluuio admonitionem ſpernebant. nolo tamen et haec putide nimis, et curioſe;

cum

f) *Geneſ. II, 3.*

g) Vid. qui copioſe de eo ſcripſit, HORNIVS *in hiſt. philoſ. lib. I. c. VIIII. p. 49. lib. II. c. VIII. p. 99.*

h) *In prolegomen. cap. 3. Syntagm. de Dis Syris. p. 45. 46.*

i) *Verſu 11.* conf. *verſ. 8. et. 12.*

cum antiquitate nimia diffisus, tum scriptis, percensere, sed omnem potius, de posteris Adami, et sequentium temporum capitalibus philosophis, pertractionem, omittere placet, et missam facere. Hoc certum est, istos homines aut sermone palam professos esse, aut vita sua istas propemodum cogitationes expressisse, quas ASSAPHVS, Dei contemtoribus, his verbis tribuit[k]: πῶς ἔγνω ὁ Θεὸς, καὶ εἰ ἔστι γνῶσις ἐν τῷ ὑψίστῳ; *Chaldaeorum* gens, cum certum sit, quamuis, Alexandri temporibus, a Callisthene interrogata, aetatem suam falso extenderit[l], nulli tamen populo eamdem in antiquitate aliquid cedere, indeque, quod adeo parum, aut fere nihil, de ista philosophia sciamus, mirum non est, ipsam illam antiquitatem in caussa esse. accedit et hoc, quod, quaecumque antiqui scriptores de ea proferunt, tantis fabulis, maxima ex parte, obscurata sint, atque adeo inter se repugnent, vt certi de hac philosophia constitui nihil possit. *Zoroaster*, *Belus*, et *Berosus*, praecipui sunt, qui suo tempore, pro captu itidem illorum temporum, prae ceteris sapientia eminentes, de Deo, et natura aeterna, doctrinas quasdam inuenerunt. Auctor est DIODORVS SICVLVS[m], quod inter eorumdem principia, forma mundi, ordo, et ornatus, *a diuina prouidentia* constituatur, quamuis, vniuersi huius materiem exstitisse semper, existimauerint. et secundum praestantissimum THOMAM STANLEIVM[n], Deus, apud hanc gentem, νοερὸν φῶς καὶ πῦρ est, qui ἐν τῇ δυνάμει νοερᾷ οὐκ ἔκλεισεν ἴδιον πῦρ, sed omni-

k) *Psalm. LXXIII, 11.*

l) Vario modo haec historia narratur. STANLEIVS enim *in histor. philos. part. XIII. sect. I. cap. I. p. 1110.* ab ARISTOTELE rogatum CALLISTHENEM esse, refert, vt se doceret, quamnam tandem antiquitatem, Chaldaica sapientia, adtingere, merito censeri posset. alii, quos et ego sequor, a CALLISTHENE magum quemdam, vnum certe ex Chaldaeis, interrogatum esse putant, et quae sunt reliqua. conf. ATHAN. KIRCHERI *turris Babel. lib. I. cap. VII. p. 18.* IO. FRANC. BVDDEI *hist. eccles. V. T. tom. II. per II. sect. V. ad §. XIII. p. 867.*

m) *Bibliothecae historicae lib. II. p. 115. ed. Hanou. 1604. fol.* vbi ex instituto de disciplina et philosophia Chaldaeorum verba facit. vid. THOM. BVRNET *archaeol. philos. lib. I. c. IIII. p. 349.*

n) *Hist. phil. Chald. p. XIII. sect. II. cap. II. p. 1123.*

omnibus potius creaturis largitus est. Notum est praeterea, et diligenter a scriptoribus historiae philosophicae animaduersum, in tres diuidi a Zoroastre classes, quaecumque sunt, omnes omnino in hocce vniuerso, naturas, inter quas secunda initium habet illa quidem, sed fine carebit, et aeuiterna dicitur. *Proximum sane est*, STANLEIVS[o] ait, *e Deo effluuium*, ὑπερκόσμιον φῶς, supramundanum lumen, *infinitum*, *idemque incorporeum ac lucidum spatium*, *Intellectualium naturarum beata*, *et* quieta, *sedes.* et eleganter, vt saepius, IO. CLERICVS[p], ex Daniele, in Chaldaeorum litteris sapientissimo, *lucem cum Deo habitare*, dicit, quamuis metaphorice id intelligi putet, magisque in rem istam adfirmari, quae PAVLLVS[q] habet, Deum nempe conspici a nullo mortalium posse, sed φῶς potius οἰκεῖν ἀπρόσιτον. Nisi in defendenda caussa mea patronus ego nimis acerbus, nimium putide, argumenta, vndique collata, constipare viderer, per istud ὑπερκόσμιον φῶς, adfirmarem, et per istam beatam atque tranquillam intellectualium naturarum sedem, innui commode, et concludi ratiociniis, ad quietem Dei posse, a Chaldaeis cognitam. Similis forsitan ista Chaldaeorum demonstratio, (sed nolite, vos, qui vim huius vocis capitis, putare, serio ita eam a me vocari,) PLATONIS rationi, a SOCRATE in *Phaedro* explicatae, et a CICERONE[r] adductae, parum certe dissimilis, fateor vltro, futura est, quae, si paucis verbis complectatur, hanc tamen formam induit: *quod ignem a se habet, principium ignis est. sed quod principium ignis est, est illud idem beata etiam, et* QVIETA *sedes*, vi hypotheseos Chaldaeorum, *Deus autem principium ignis est. ergo* DEVM, QVIETEM *esse conficitur*, seu *quietam* potius *et beatam sedem*[s]. Si, quid sentiam, profari liceat, istam beatam sedem, et quietem, explicasse eodem modo, Chaldaei mihi videntur, atque multi spatii sibi, et loci, notionem concipiunt, quibus imaginatio pro re extensa illud, partibus simillimis et iisdem, continente, aeterna, ne-

o) *l. c.* p) *In indice* STANLEII *histor. philosoph. adiecto sub voce* lumen.
q) *1 Timoth. VI, 16.* r) *disputat. Tusculan. lib. I. cap. XXIII.*
s) Fusius haec omnia STANLEIVS prosequitur *l. c.*

necessaria, nulloque auctore orta, et tantum non, cum philosophis Anglis, HENR. MORO[t], et IOSEPHO RAPHSON[u], pro ipso Deo venditat. Et, quamquam hacce spatii notione in Geometria, et in doctrina in primis de motu, carere facile haud possimus, si rem ipsam tamen consideramus, necque fictionibus locum relinquimus, quae sua, fateor, vtilitate, in mathematicis rebus, vt patet in puncto quietis, cum maxime gaudent, spatium vere cogitamus, si res discretas a se quidem, et extra se positas, sed quadam ratione coniunctas tamen, nobis sistimus. Quietem itaque sibi, tamquam receptaculum, Chaldaei repraesentarunt, quod absque corporibus consisteret, eamdemque illam quietem, quia sint in eadem omnia, Deum dixerunt. qua opinione inductos, parum equidem negauerim, sua de spatio, MORVM, et RAPHSON adfirmauisse, si *huius modo* criminis, licet, doctos hosce homines, in iniusta tamen illorum caussa, et non, vt aliis bonis hominibus saepius hodie fecerunt, in iustissima illorum, vt odium ipsis facerent, accusare.

§. II

Chaldaeorum opinio: Deus est centrum sphaerae vniuersi, *expensa. Bahal. Belus. Ζεὺς. somnus, deo a Chaldaeis tributus. opinio Persarum, de quiete Dei. descriptio* quietis *apud antiquissimos vsitata. quies, Arimanii, mali Dei, hominis dormientis similis.*

SVNT quaedam adhuc, quamuis paucissima, reliqua, quae, ex philosophia Chaldaeorum, adduci, vt, quae antiquissimis temporibus, de quiete Dei, proposita sunt, intelligantur bene, suo iure iam iam merentur. Scilicet, PROCLO teste, STANLEIVS[x] auctor est, ab ista gente *supramundanum lumen* constitui

 in

t) *In enchyridio metaphysico, in tractat. de spatio.*

u) *In conamine metaphysico de spatio, ente reali, et infinito*, qui, quamuis non verbis ita conceptis, *spatium*, *Deum esse*, eloquatur, per egregiam tamen, immo vero, ex sua opinione, mathematicam, nam ita abutitur hac voce, demonstrationem, spatio diuinas competere proprietates, euincere conatur. vide *Marburgensem philosophum*, metaph. german. *Tom. II. cap. II. §. 20. p. 50.*

x) *Part. XIII. sect. II. cap. XI. p. 1129.* verba haec sunt: *Idem* (PROCLVM puta,)

in centro totius mundi, quasi vnius considerati, omnesque has aeiternas, et incorporeas vndique naturas, in supramundano isto lumine, sedem suam esse sortitas, in lumine itidem incorporeo, supra altissimum corporeum mundum posito, indeque, superiora versus, in infinitum porrecto. Sub DIONYSII AREOPAGITAE[z] nomine, libri nonnulli circumferuntur, saeculo tamen quarto demum, ex eruditorum opinione, pia fraude, ab alio exarati, quibus et ipse Deus, *centrum sphaerae vniuersi*, passim nuncupatur, modo, cum isthoc Chaldaeorum, adprime conueniente. Ex hac loquendi ratione quies Dei aliquantum demonstrari, Chaldaeisque tribui, et ipsa potest. Nempe, omne centrum quiescit in quocumque circulo inmobile, natura sua, radiumque tantummodo suum per extremitates suas et περιφέρειαν circumducit. patet hoc, a posteriori, ex radiorum quorumuis ab eodem ad circumferentiam ductorum, aequalitate, immo vero, a priori adeo, ex ipsa circuli finitione, et natura. Quamuis autem, quae a sensibus ducuntur, Deoque tribuuntur, imagines, rem magis obscurent semper, quam illustrent, intercedere tamen aliquam similitudinem, inter ipsam quietem Dei, et adumbratam hoc circulo imaginem, haud penitus equidem negauerim. primo enim, radii cuiuslibet extremitas, siue punctum, quod centrum dicitur, cum sit ipse finis et terminus, incurrere in sensus nequit, menteque tantum et cogitatione comprehenditur, quod dici de Deo posse is negabit, qui eum hominem faciet. deinde, ex definitione aliorum, qui lineam radiumque oriri per fluxum puncti, dicunt, in plagam qualemcumque, elici ego influxum Dei in hoc vniuersum, quod per sphaeram siue circulum stiterunt, posse, putauerim. quod si enim fluat punctum, vestigiaque sua post se relinquat, quae adtingit extremitatem circuli, fluxionis huius pars, fontem suum, principiumque in centro habet, et, si ita loqui fas esset, totus circulus

puta,) *etiam ait, centrum totius mundi, quasi vnius considerati, esse in hoc lumine: nam si oracula materialis mundi centrum supra illum ponunt in aethere, eadem ratione adscendendo, adfirmandum, centrum altissimi mundorum in hoc lumine situm.*

z) *In libro de diuinis nominibus.* statim ab initio, et passim.

lus ad vnum omnis omnino centrum reducitur, nam radii omnes ſimul ſumti, circulumque conſtituentes, per iſtum fluxum puncti, in ſenſus non incurrentis, nil, praeter centrum, fiunt. Quod, quamuis fatear, dici facilius, quam probari a mathematicis poſſe, cum is mihi magnus Apollo futurus ſit, die feſto peculiari celebrandus, qui conciliare inter ſe iſta poteſt, eſſe aliquid, quod in ſenſus non incurrat, ſimplex, partibusque deſtitutum, ita tamen nihilo minus fluere poſſe, et ita ſe expandere, vt linea inde conſtituatur: miſſo tamen hoc dubio, et quae pronuntiantur, tamquam oracula a memet adſumto, quietem Dei patere, dico, et influxum eius in hoc vniuerſum ex iſta opinione poſſe, et quod quidam parum philoſophice, de animo, dicunt, ita et hoc loco eadem ratione de Deo adfirmari, totum eum eſſe in toto, et totum in qualibet parte. Quis autem non videt, haec potius cum ſpatii opinione, cui diuinae proprietates adtribuuntur, conuenire, quam antecedente §. explicauimus, cum veram Dei quietem, quae cum prouidentia huius vniuerſi, et conſeruatione conſiſtit, de qua tertia ſectione dicendum eſt, innui, nullo vmquam modo et ratione, poſſint? Et, quamuis diſtinctiorem in animis notionem, veri Dei, prae reliquis antiquis gentibus, ſi a Iudaeis ſeceſſeris, Chaldaeos habuiſſe crediderim[a], cultus tamen eiusdem, immo tota templi facies, Deo dedicati, et omnis inſtituti ratio, illud σεβαϑῆναι ϑεὸν ἀγνῶς, quod ſuadent tamen oracula, non adſecutae ſunt. Numini enim ſummo, vt ex interdicto Dei patet, quod apud OSEEN[b] exſtat, nomen *Beli*, imaginemque tribuebant, templum-

a) Verſ 183. vid. IO. CLERICI *notas in Oracula Chaldaica, circa fin. hiſtor. philoſ.* STANLEII *adiect. ſect. VIII. p. 1199.*

b) Cap. II. verſ. 16. et 17. καὶ ἔςαι ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, λέγει κύριος, καλέσει με ὁ ἀνήρ μου καὶ οὐ καλέσει με ἔτι Βααλείμ. Καὶ ἐξαρῶ τὰ ὀνόματα τῶν Βααλείμ ἐκ ςόματος αὐτῆς, καὶ οὐ μὴ μνησθῶσιν οὐκέτι τὰ ὀνόματα αὐτῶν. STANLEIVS vertit *p. 1151. non vocabis me amplius* BAHALI. ſcilicet *Belus* Chaldaeorum, idem eſt, qui *Bahal* Phoenicum, qua voce בעל Ebraei *dominum* ſignificant, excidente enim littera ע, fit בל *Bel*, cuius mentio iniicitur, et his ipſis quidem elementis, apud ESAIAM, *XXXXVI, 1.* ἔπεσε Βῆλ. כָּרַע בֵּל HIEREMIAM, *L, 2.* κατησχύνθη Βῆλος הֹבִישׁ בֵּל, et alios ſcriptores biblicos. οἱ LXX pro BAALI, ſine nomine, cum affixo pronomine, בעלי, plurali numero, vti videtur, בעלים legerunt,

plumque adeo Iouis Beli, ab HERODOTO[c], oculato teſte, et omnis, Deum colendi, in eodem, modus, adcurate ſatis deſcribuntur. Eſt, quod mireris, nempe, ab eodem HERODOTO, conſpectum, in extrema turri huius templi, lectum bene ſtratum fuiſſe, in quo Deus ipſe, templum ingrediens, conquieſcere dicebatur, quemadmodum in Aegyptiis Thebis fieri etiam ita dicerent Aegyptii. Verba eius haec ſunt: Φασὶ δὲ οἱ Χαλδαῖοι, ἐμοὶ μὲν οὐ πιςὰ λέγοντες, ΤΟΝ ΘΕΟΝ, αὐτὸν φοιτᾶν τε ἐς τὸν νηὸν, καὶ ΑΝΑΠΑΥΕΣΤΑΙ ΕΠΙ ΤΗΣ ΚΛΙΝΗΣ, κατάπερ ἐν Θήβῃσι τῇσι Αἰγυπτίῃσι, κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον, ὡς λέγουσι οἱ Αἰγύπτιοι· niſi forte iure HERODOTVS miretur, de Chaldaeis haec dici poſſe, quod tamen diſquirendum vlterius eſſe, iam non puto. *Perſae*, cum omnem ſuam et eruditionem, et philoſophiam, *vicinis Chaldaeis debuerint*, multis eamdem igitur in rebus cum illorum doctrina conueniſſe, mirum non eſt[d], et quae ſunt a me

gerunt, οὐ καλέσει με ἔτι Βααλεὶμ vertentes. Notatu dignum eſt, vocem Βῆλος, vocabulo, Ζεὺς, et, Δία, ſaepiſſime transferri, et quidem iſthac interpretatione, ſenſu planiſſimo, innui, quod, quemadmodum *Belus*, deorum ſummus, apud Chaldaeos, ita *Iupiter* ſupremum, apud Graecos, locum obtineat, vnde et hi, Iouis, vt Babylonii, Beli nomine, verum Deum, intelligebant. Elegantiſſima ſunt, quae STANLEIVS *l. c.* habet, quando a PAVLLO hemiſtichium ARATI τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμὲν, dicit, ad primum verſum referri: ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα. ſcilicet voce Διὸς, intelligitur δημιουργὸς, caelo et ſtellis prior, vt ex THEONE obſeruauit IO. CLERICVS *in indice hiſtor. phil. Orient. voce* Iupiter. conf. IDEM *ſub vocibus* Belus. Mars. *l. c.* porro, IO. SELDENVS *ſyntagm. II. de Dis Syris cap. I. de Baal et Belo. p. 194. ſeq.* IO. MARSHAMVS *Canon. Chronic. lib. I. Saecul. I. §. 3. p. 33.* SAM. BOCHARTVS *in Chanaan lib. II. cap. XVI. p. 850.* THOM. GODWINVS *in ritib. eccleſ. Ebraeor. libr IIII. cap. III. p. 335. ſeq.* SAL. GLASSIVS *in philologia ſacr. libr. III. tract. 1. can. XXXV. p. 469.*

c) *Libr. I. qui inſcribitur* Clio, *cap. CLXXXII. p. 73. edit.* IAC. GRONOVII.

d) Cum bonum deum, Chaldaei, quem merum lumen eſſe credebant, *Oromazen* vocarent, malum autem, ſiue tenebras, *Arimanem*, ſeu *Arimanium*, iisdem nominibus et Perſae deos ſuos inuocabant, quamuis, mediatoris veluti, partibus, inter hoſce, *Mithra*, tertium numen, fungeretur. Vir doctiſſimus, THOMAS HYDE, in libro elegantiſſimo, *de religione veterum Perſarum* Oxonii 1700. *edito*, ab omni quidem idolorum cultu liberos Perſas fuiſſe, et naturam tantum aliquam, oculis illam minime expoſitam, coluiſſe, data opera euincere conatur. ex mea tamen opinione, quae adfert, nimis putida ſunt, argumenta, nimisque anxie quaeſita,

ame, circa eam, de quiescentia Dei, sententiam, *ex centro sphaerae, ex sede* porro *intellectualium naturarum quieta*, disputata, ea et ipsa, adscribi Persis, placita, eorumdemque religioni, posse, creditu admodum probabile est [e]. Vnum tamen adhuc est, quod adducam, cum, quae ceterum a *Zoroastre*, Persa, *Hystaspe*, *Osthane*, *Magis*que reliquis, circa Theologiam et Physicen sunt excogitata, et paucissima sint, et meo instituto minus conueniant. nempe in errorem istum, principia duo faciendi, puto, propterea incidisse homines, quoniam ingentem malorum copiam et cum benignitate diuina, et cum prouidentia conciliare non poterant, necque vero credere, benignam adeo, sapientem, sanctamque naturam, et tantis malis inquinatum mundum produxisse, et mala reliqua, quae accidunt quotidie, indulgere potuisse. quae quidem difficultas tolli omnino posse ab iis existimabatur, quando bonum quidem principium sine malis mundum condidisse, necque vllum adeo posse omnino producere, crederent, at illud alterum, bono cum

quaesita, vbi in primis, qui de re, et religione Persarum exposuere, auctores, satis istam opinionem confessunt. Probalissima sententia de religione Persarum haec est: Deum summum eos statuisse et benignum, bina autem inferiora numina, huic sempiterno Deo subiecta, et ab eo condita, bonum alterum, alterum malum. quam laudat etiam, suamque facit ὁ πάνυ MOSHEMIVS *in animaduers. ad* CVDWORTHI *syst. intell. cap. IIII. §. XIII. p. 249.* cum illa certe clarissimi HYDE sententia, vnì Persas Deo supremo, rerum omnium conditori et parenti supplicasse, at huic tamen malum quemdam genium, non dissimilem eius cacodaemonis, cuius sacer codex meminit, adiunxisse, auctoritate sua omni omnino ex parte careat. conf. PETR. BAYLIVS *in diction. hist. critic. voce* Zoroastres *p. 3079. seq.* et BVDDEVS *in hist. eccles. V. T. tom. II, per. II. sect. VI. ad §. XIII. p. 1054.*

e) Inmo vero, de malo Deo, Arimanio, constat ex PLVTARCHO, ad aliquod tempus quiescere eumdem debere, et quidem in eam quietis similitudinem, quam homo dormiens capit. verba excerpta ex THEOPOMPO, *in librum de Iside et Osiride, Opp. Tom. II. p. 370.* sequentia: τέλος ἀπολείπεσθαι τὸν Ἅδην, καὶ τοὺς μὲν ἀνθρώπους εὐδαίμονας ἔσεσθαι, μήτε τροφῆς δεομένους, μήτε σκιὰν ποιοῦντας· τὸν δὲ ταῦτα μηχανησάμενον θεὸν ἠρεμεῖν καὶ ἀναπαύεσθαι χρόνῳ καλῶς μὲν οὐ πολὺν τῷ θεῷ, ὥσπερ ἀνθρώπῳ κοιμωμένῳ μέτριον. Ceterum, ingeniosas confer, lectuque dignissimus coniecturas, GODOFR. GVIL. LEIBNITII, viri summi, quas de Arimanio, et bono Deo, proposuit *Essais de Theodicée sur la bonté de Dieu et la liberté de l'homme, partie II. §. 137. 138. p. 38. 39. s. tome II. edit.* M. L. DE NEUFVILLE. vide etiam CVDWORTHI *syst. intell. cap. IIII. §. XIII. p. 248.*

cum maxime inimicum, ſi conquieſceret forſitan aliquando bonum, non aliter, atque daemon ille meridianus, cum dii dormiunt, corrupiſſe vniuerſum, vehementerque adhuc nocere hominibus quotidie, ſtatuerent. Eam autem inhaeſiſſe mentibus antiquiſſimorum philoſophorum notionem *quietis* autumo, ſi animus cuiuscumque entis nihil omnino cogitat, nihil conſiderat, nihil ſibi proponit, ſed tamquam in proprio domicilio ſuo errabundus, et quaſi hoſpes, vim ſuam non poteſt ad res ſingulares intendere. quod vel hodie, quidam exiſtimant, finitionis genus, pro vera quietis notione adſumi poſſe, cum mihi diſtractio potius animi, et quaſi peregrinatio, iſthac deſcriptione innuatur [f].

§. III

Aegyptiorum ſententiae, de quiete Dei.

IN eam igitur, ex Aſia, terrarum orbis partem, quam Africam adpellamus, transgredior. Duo ibi populi fuere, quibus ſapientiae laudem antiquitas tribuit, Aegyptios puto, et Aethiopes. quorum quidem hi, qui et Indorum nomine interdum, quod originem traxiſſe, ex India, ſuam videbantur, venire ſolent, quoniam nominis celebritatem famamque ad poſteros non adeo magnam perduxerunt, ſententiasque et placita eorum aetatem noſtram neutiquam adſpexerunt, nihil nobis fecerunt reliqui, quod copioſe adducendum ſit [g]. illi vero, ſed quis neſcit, quantam laudem adſecuti ſint, quantamque gloriam ad poſteros propagarint?

Popu-

f) Rectiſſime SENECA *epiſtol. III. p. 7. Opp. Tom. II. ed.* GRONOVII ait, *et haec non eſt* quies, *quae motum omnem moleſtiam iudicat, ſed diſſolutio et languor. Inter ſe iſta miſcenda ſunt, et quieſcenti agendum, et agenti quieſcendum eſt.*

g) Vid. STRABO *rer. geograph. lib. XV. p. 1038. ed.* ALMELOVENII. BAYLIVS *in diction. hiſtor. et critic. voce* Brachmanes *p. 690.* IO. CHRISTOPH. WOLFIVS *in notis ad* ORIGENIS *philoſophumena c. XXIIII. p. 158.* qui vero de Indorum potiſſimum gymnoſophiſtis habent. Cum, contra ea, de Aethiopum, exponant LVCIANVS *de aſtrologia Opp. Tom. I. p. 848. ed.* GRAEVII. PHILOSTRATVS *in vita Apollonii Tyanenſis lib. VI. p 234. edit.* OLEARII. conf. BAYLIVS *in libro laud. voce* Gymnoſophiſtae. et BVRNET *in archaeolog. philoſoph. lib. I. cap. II. p. 343.* Quemadmodum vero,

quod

Populum enim ſemet antiquiſſimum non modo faciebant, et, in ſua regione, homines cum animalibus reliquis, ex terra, ſpongiarum inſtar, eſſe exortos, dicebant, ſed multarum etiam ſcientiarum ſe, et artium, auctores iactabant [h]. Et habuerunt ſane, fateor, ſuos in hoc genere admiratores, qui valde eorum ſapientiam extulerunt, et philoſophiam eorumdem, matheſin etiam, et artem medicam, ad ſummum tantum non faſtigium euexerunt, inter quos in primis eminet IO. FRID. REIMMANNVS [i]. Sed nemo mirabitur, cui notum eſt aliunde, rem conſuetam eſſe, admirari antiquitatem, et omnia augere, quae ſciuerunt veteres, et quae fecerunt. hoc certum eſt, Aegyptiorum ſententias, de Deo, homine, et natura, adeo abſurdas eſſe, adeoque inter ſe repugnantes, vt, vel horum philoſophi valde ieiuni ſint, neceſſe ſit, vel negandum omni omnino ex parte veniat, philoſophorum nomen vllo vmquam modo tueri ipſos potuiſſe [k]. Exemplo eſſe poſſunt, quae de quiete Dei docuerunt. ex *Hermete* enim *Triſmegiſto* [l], ATHANAS. KIR-

CHE-

quod LVCANVS habet *pharſal. l. I. verſ. 451. ſeq.* et IVLIVS CAESAR *bell. Gallic. lib. VI. cap. XIIII.* adfirmat, Gallorum Druidae alta nemora remotis lucis incoluerint, ita, exiſtimo, eadem ratione, atque Aethiopes, feciſſe id propterea, vt, quoniam putabant, ſiluas a diis, vt quieſcerent, frequentari, vel hoc modo ſimiles ſe ſupremo numini reddere, vitamque tranquillam degere poſſent.

h) Vid. MARSHAMI *canon. chron. Saec. VIII. p. 110.*

i) *In ſpecimine hiſtor. litter. antediluu. ſect. II. p. 119. 155.* et in primis *ſect. III. quaeſt. 16. p. 193. ſeq.*

k) Nullos omnino eſſe deos dicebant, praeter Solem, Lunam, et Stellas, et tamen deos interdum terram deſcendere, adſumtisque variis animalium ſpeciebus, hominibus adparere. porro, animum hominis inmortalem eſſe, poenasque, et praemia, poſt exceſſum ſuum e corpore, exſpectare, et tamen, ex alio in aliud corpus, animum migrare, quod cum priore ſententia non reſpondet.

l) Non deſunt ſummae eruditionis et iudicii viri, qui, cum *Mercurium* hunc exſtitiſſe vmquam, valde dubitent, eius adeo libros, et ſpurios, et adulterinos, exiſtimant, inter quos GOROPIVS BECANVS non infimum locum tenet, qui *lib. I. Hieroglyph.* et *lib. IIII. Gallic.* Mercurium aeque, ac Zoroaſtrem, immo vero, Orpheum adeo, vixiſſe numquam, contendit, quem laudat propterea PETR. DAN. HVETIVS *in demonſt. euang. propoſ. IIII. cap. V. §. 2. p. 129. ſeq.* ſed valde reprehendunt HERM. CONRINGIVS *de Medicina Hermetica* Helmſt. *1648. ed. cap. VII.* et GER. IO. VOSSIVS *de orig. et progr. Idol. l. I. c. II. p. 5. cap. X. p. 40.*, qui inepta, BECANI, argumenta, et tantum non ſtultitiae plena, dicit, cum, e contrario, in multis circa hanc rem, CONRINGIVM refutarit

CHERVS[m] definitionem Dei adducit, cum *Chaldaeorum*, et DIONYSII AREOPAGITAE, fere eamdem, *Deus circulus est*, aiunt Aegyptii, *cuius centrum est vbique, circumferentia nusquam.* Scilicet diametrus huius circuli, et centrum, et radii, et extremitates, omnia, vnum sunt. Inmensitatem diuinam hacce loquendi ratione, quos Nilus foecundat, indicauisse, facile patet, cuius limites vltra infinitos etiam mundos se extendere, omnesque semper terminos excedere, verum est. sed et quietem eius elici posse, et re elici ipsa, KIRCHERVS[n], ex hac ipsa definitione, ad mentem eorum, profitetur. *Omnis enim viuificatio, motus,* ait, *et intelligentia in Deo, ex Deo, et per Deum est, apud quem vna octaua sphaera non est minor, quam infinitae, quia finis est omnium motuum, in quo omnis finis, vt in motu, quiescit, est enim Deus* QVIES MAXIMA, *in qua omnis motus quies est. ita maxima quies, omnium motuum mensura est, sicuti maxima rectitudo omnium circumferentiarum.* et, paullo post, pergit in hunc modum: *in Deo omnes motus naturales quiescunt, et omnis potentia, vt in actu infinito, in ipso perficitur. ergo Deus, quies motus est, qui est finis totius motus, scilicet forma et actus essendi.* Et hinc, aptissime istam Hermetis definitionem in Deum transferri posse, concludit, immo vero, diuinam adeo essentiam, atque naturam, quoad conprehendi ingenio humano posset, nulla re magis, meliusue exprimi, explicarique, ista sola definitione bella, posse, existimat: *Deus est circulus, cuius centrum vbique, circumferentia nusquam est.* Notum praeterea est sacrum istud et sanctum scribendi genus apud Aegyptios, quo adhibitis quibusdam imaginibus, quibus sapientiae doctrinas occultabant, sacerdotes, quibus solis nosse eas, aut solis,

tarit satis, et eleganter quidem, OLAVS BORRICHIVS in libro eruditissimo *de ortu et progressu Chemiae a p. 16. ad p. 22.* Ceterum, quando tot paene innumeri, grauissimique omnis aeui scriptores *Hermetem Trismegistum* commemorant, vix ego, quin, qui non vixerit sane aliquando, statuam, a me impetrare possum, quamuis libros eius, diu post Christum natum, compositos esse, vltro largiar, cum multa in iisdem ex *Platone*, Christianis etiam, et haereticis, depromta reperiri, existimat et recte quidem, CARPZOVIVS *in diss. ad §. I. laud. §. III.*

m) In Oedip Aegyptiac. Part. II. Class. XII. cap. II. §. 1. p. 501.

n) l. c. p. 502. 503.

lis, vt ait LVCANVS, neſcire datum erat, naturam Dei, proprietatesque, proponebant[o]. Scilicet, Ibidis facie, ſimulacrum in hierolyphicis pingebant, in trono varie adornato ſedens, conſpicuum, tutulo variis ſymbolis referto, ſceptroque, ſummam ecce elegantiam! Iſimorpho. KIRCHERVS, vt eſt ille crepundiarum, puerilium que imaginum amator, et admirator mirificus, imaginem niſi nobis, multa cum elegantia ligno inciſam, ſiſteret, et interpretationem, rerum, ex ſua ſententia maximarum, et repletarum maximis itidem myſteriis, rumperetur ilico, ſi non adiiceret, in rem tamen meam adprime conuenientem: *per Ibidis figuram*, dicit[p], *quid aliud notant Aegyptii, niſi viuacitatem, immo ipſam rerum omnium vitam, velocitatemque Dei, omnis motus expertem?* et ſtatim adiicit, *quid per ſedem? niſi poteſtatem in omnia, et* QVIETEM AETERNAM? Locum ſupra ex PORPHYRIO[q], de quiete Dei, ab Aegyptiis cognita, adduximus, et THEOD. GRAEVIVM audiuimus, qui ſapientes, apud eamdem gentem, putat, propterea vetaſſe, ne ianuam, portamque templorum, in primis vero, circa meridiem, praeteriens, loqueretur, quoniam quies Dei iſto ſtrepitu facile perturbari poſſet. Et ipſe Oedipi compilator, quem Dauum melius dixeris, *hinc ſacerdotes*, ait[r], *in myſticis ſacrorum adytis, Deo ſupplicaturi, ter tenebras inuocantes, id eſt, impenetrabilem diuinitatis caliginem, prodire ſolent.* ipſe HERODOTVS etiam, de templo Chaldaeorum, quo Deus dicebatur, laſſus, conquieſcere, verba cum faciat, adiicit ſimul[s], κατάπερ ἐν Θήβῃσι τῇσι Ἀιγυπτίῃσι, κατὰ τὸν ἀυτὸν τρόπον, ὡς λέγουσι οἱ Ἀιγύπτιοι, Aegyptiisque eodem modo

I 2 craſſam

o) IO. MARSHAMVS *in Can. Chron. lib. I. Saec. I. p. 38.* ita loquitur: *triplex erat apud Aegyptios Characterum ratio:* ἐπιστολογραφική, *ſiue vulgaris.* ἱερατική, *qua vtuntur* ἱερογραμματεῖς. *qui de rebus ſacris ſcribunt. et* ἱερογλυφική *ſacra ſculptura: Huius duae ſunt ſpecies* κυριολογική *proprie loquens per prima elementa. et* συμβολική *per ſigna. cuius alia proprie loquitur per imitationem, alia tropice, alia allegorice per aenigmata.*

p) *Loc. paullo ante cit. p. 505.* q) *Section. I. diſſertat. §. II. p. XX.*

r) *l. c. p. 506.* vbi et Obeliſcum Pamphilium ſuum laudat.

s) *Libr. I. qui* Clio *inſcribitur, cap. CLXXXII. p. 73. ed.* GRONOV. *conf. §. II. ſection. II. diſſ. noſtrae p. LXII.*

craſſam iſtam, de ſomno Dei, ſententiam adtribuit, de qua ſupra pluribus expoſuimus. Praeterea, et ea fuit apud Deltae adcolas opinio, quando tandem diuinae voluntati aeternas bonitatis ſuae diuitias oſtendere placuiſſet, vt, tempore incipiente, produxerit primo, atque effecerit mundum eiusmodi, quem in ſua lingua, *ſuperexcelſum*, in ebraea vero, עולם המלאכים *angelorum mundum*, ſeu *intellectualem*, nuncupant. Duo ſcilicet aeua in Deo conſiderauere. primum, ab aeterno ad initium vſque temporis progrediebatur. alterum, a creationis initio duraturum itidem in aeternum eſt. quietem Deo adſcripſerunt in primo aeternitatis aeuo, quo Deum ſolum fuiſſe profeſſi ſunt, et cum eo nihilum. *in ſolitudine* porro *Deum fuiſſe, ſibique ſoli, et a nullo principio adſtitiſſe, in ſemet ipſum directum, et volutum, in ſe ſibi praeſentem, ſe ipſum perſpicientem, et agnoſcentem. in incomprehenſibili caliginis ſuae* et quietis *abyſſo reconditum. in ſe foecundum, ſibi cognitum, ſibi peruium*, cetera [t]. Quibus verbis, fateor ego, vt ſunt, recte explicatis, quid cogitari, dicique de Deo conuenientius poſſit, et magis congrui, parum equidem ſcio, niſi potius magis haec ex KIRCHERI ingenio, nimium ſibi indulgentis, fuiſſe dicta, Aegyptiisque, numquam iſta cogitantibus, tributa exiſtimauerim, cum vix atque ne vix quidem, patrata Argi caede, in Aegyptum profugo, Thoth, ſicut eumdem CICERO [u] adpellat, hanc ſapientiam, et, in cognoſcenda Dei natura, vim, veritatemque, adſcripſerim, qui proponere iſta tam commode huic populo potuerit. tantum de philoſophia barbarorum!

§. IIII

HOMERI, PHERECYDIS, BIANTIS, THALETIS, *et aliorum, adſerta de quieſcentia Dei.* CALLIERIVS *expenſus.* IOECHER *laudatus.*

AD aliam longe, multoque et maiorem et meliorem hiſtoriae philoſophicae partem accedo, nempe ad hiſtoriam graecae phi-

t) Sunt haec ATHAN. KIRCHERI, *in Oedip. Aegypt. Part. I. Tom. II. claſſ. VI. cap. III. p. 405. 406.*

u) *De natura deor. lib. III. cap. XXII. p. 592.* conf. LACTANTIVM *diuinar. inſtitut. lib. I. cap. VI. n. 3. p. 36. edit.* Cl. IO. LVDOLPH. BVNEMANNI.

philosophiae. Accepisse Graecos, ex Asia, sua philosophiae initia, partim ab iis, qui Asiam ex Graecia concesserant, partim etiam ab his, qui, Asia relicta, Graeciam habitatum venerant, dubium non est. Subtilis autem quamuis, et acuta, haec philosophia fuerit, eamdem tamen ab initio statim, atque PLATONIS fuit, et ARISTOTELIS aetate, adeo perfectam fuisse, neutiquam putandum est. sed, sicuti barbarorum, eodem modo et ipsam, rudem primo, exiguamque fuisse, immo vero, ne distingui quidem eam a barbarorum dictis potuisse, credi potest. quis enim, quaeso, summam sapientiae laudem, *Prometheo*, verbi caussa, *Lino*, *Orpheo*, *Musaeo*, *Thamyri*, *Melambo*, *Amphioni*, *Epimenidi*, aliis, adscriberet? aut, quis *Homero* adeo, vel *Hesiodo*, omnibus numeris absolutam philosophicae scientiae laudem adtribueret? notissimae sunt Homeri fabulae. at hic in primis scientiarum omnium, et sapientiae, fons habebatur! et quidquid nobis tandem HIEROCLES, PORPHYRIVS etiam, CELSVS, aliique, obiiciant, qui, explicari ista figmenta satis commode posse, contenderunt, bene tamen, missis his omnibus obiectionibus, fecisse, dudum ante, PLATONEM iudico, qui Homerum minime in rem publicam recepit. Quam absurdas de quiete somnoque deorum, satisqve stultas opiniones, ille ὁ πάνυ περιβόητος *Homerus* habuerit, satis in antecedentibus proposui, eaque ipsa re, locum, et numerum, et honorem, comparendi inter philosophos, penitus eidem, omnique omnino ex parte, denegaui x). Sed et nihil ma-

 gno

x) Vt fecit vir eruditissimus, IO. FRID. REIMMANNVS, cum eruditione Aegyptiorum, ita non desunt, qui Homero primas, in omni doctrina, et disciplinis omnibus, partes, decernunt. Exstat Anonymi liber, quem FRANCISC. CALLIERIVM (*François de Callieres*) quidam volunt, (conf. *l'état de la France de l'an. 1699. Tom. III. p. 437.*) cuius titulus est: *Histoire Poetique de la guerre nouvellement declarée entre les anciens et les modernes, à Amsterdam 1688. 12.* in quo recentioribus auctoribus omnibus praeferuntur antiquiores, et Homerus, tamquam inter stellas minores luna, eminet. vide etiam, quae copiose saepius habet, de doctrina Homeri, EVERARD. FEITHIVS *in antiquit. Homeric. insert. Tom. VI. thes. Antiqnit. Gr.* IAC. GRONOVII. REIMMANNVS clariss. *in Iliade post Homerum,* passim. FABRICIVS *biblioth. graec. libr. I.* DION. PETAVIVS *in rationario tempor. P. I. lib. I. cap. XII. p. 41.* et confer, qui primo

CHERVS [m] definitionem Dei adducit, cum *Chaldaeorum*, et DIONYSII AREOPAGITAE, fere eamdem, *Deus circulus est*, aiunt Aegyptii, *cuius centrum est vbique, circumferentia nusquam.* Scilicet diametrus huius circuli, et centrum, et radii, et extremitates, omnia, vnum sunt. Inmensitatem diuinam hacce loquendi ratione, quos Nilus foecundat, indicauisse, facile patet, cuius limites vltra infinitos etiam mundos se extendere, omnesque semper terminos excedere, verum est. sed et quietem eius elici posse, et re elici ipsa, KIRCHERVS [n], ex hac ipsa definitione, ad mentem eorum, profitetur. *Omnis enim viuificatio, motus*, ait, *et intelligentia in Deo, ex Deo, et per Deum est, apud quem vna octaua sphaera non est minor, quam infinitae, quia finis est omnium motuum, in quo omnis finis, vt in motu, quiescit, est enim Deus* QVIES MAXIMA, *in qua omnis motus quies est. ita maxima quies, omnium motuum mensura est, sicuti maxima rectitudo omnium circumferentiarum.* et, paullo post, pergit in hunc modum: *in Deo omnes motus naturales quiescunt, et omnis potentia, vt in actu infinito, in ipso perficitur. ergo Deus, quies motus est, qui est finis totius motus, scilicet forma et actus essendi.* Et hinc, aptissime istam Hermetis definitionem in Deum transferri posse, concludit, immo vero, diuinam adeo essentiam, atque naturam, quoad conprehendi ingenio humano posset, nulla re magis, meliusue exprimi, explicarique, ista sola definitione bella, posse, existimat: *Deus est circulus, cuius centrum vbique, circumferentia nusquam est.* Notum praeterea est sacrum istud et sanctum scribendi genus apud Aegyptios, quo adhibitis quibusdam imaginibus, quibus sapientiae doctrinas occultabant, sacerdotes, quibus solis nosse eas, aut solis,

tarit satis, et eleganter quidem, OLAVS BORRICHIVS in libro eruditissimo *de ortu et progressu Chemiae a p. 16. ad p. 22.* Ceterum, quando tot paene innumeri, grauissimique omnis aeui scriptores *Hermetem Trismegistum* commemorant, vix ego, quin, qui non vixerit sane aliquando, statuam, a me impetrare possum, quamuis libros eius, diu post Christum natum, compositos esse, vltro largiar, cum multa in iisdem ex *Platone*, Christianis etiam, et haereticis, depromta reperiri, existimat et recte quidem, CARPZOVIVS *in diss. ad §. I. laud. §. III.*

m) *In Oedip Aegyptiac. Part. II. Class. XII. cap. II. §. 1. p. 501.*

n) *l. c. p. 502. 503.*

lis, vt ait LVCANVS, neſcire datum erat, naturam Dei, proprietatesque, proponebant[o]. Scilicet, Ibidis facie, ſimulacrum in hierolyphicis pingebant, in trono varie adornato ſedens, conſpicuum, tutulo variis ſymbolis referto, ſceptroque, ſummam ecce elegantiam! Iſimorpho. KIRCHERVS, vt eſt ille crepundiarum, puerilium que imaginum amator, et admirator mirificus, imaginem niſi nobis, multa cum elegantia ligno inciſam, ſiſteret, et interpretationem, rerum, ex ſua ſententia maximarum, et repletarum maximis itidem myſteriis, rumperetur ilico, ſi non adiiceret, in rem tamen meam adprime conuenientem: *per Ibidis figuram*, dicit[p], *quid aliud notant Aegyptii, niſi viuacitatem, immo ipſam rerum omnium vitam, velocitatemque Dei, omnis motus expertem?* et ſtatim adiicit, *quid per ſedem? niſi poteſtatem in omnia, et* QVIETEM AETERNAM? Locum ſupra ex PORPHYRIO[q], de quiete Dei, ab Aegyptiis cognita, adduximus, et THEOD. GRAEVIVM audiuimus, qui ſapientes, apud eamdem gentem, putat, propterea vetaſſe, ne ianuam, portamque templorum, in primis vero, circa meridiem, praeteriens, loqueretur, quoniam quies Dei iſto ſtrepitu facile perturbari poſſet. Et ipſe Oedipi compilator, quem Dauum melius dixeris, *hinc ſacerdotes*, ait[r], *in myſticis ſacrorum adytis, Deo ſupplicaturi, ter tenebras inuocantes, id eſt, impenetrabilem diuinitatis caliginem, prodire ſolent.* ipſe HERODOTVS etiam, de templo Chaldaeorum, quo Deus dicebatur, laſſus, conquieſcere, verba cum faciat, adiicit ſimul[s], κατάπερ ἐν Θήβῃσι τῇσι Αἰγυπτίῃσι, κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον, ὡς λέγουσι οἱ Αἰγύπτιοι, Aegyptiisque eodem modo

 craſſam

o) IO. MARSHAMVS *in Can. Chron. lib. I. Saec. I. p. 38.* ita loquitur: *triplex erat apud Aegyptios Characterum ratio:* ἐπιστολογραφικὴ, *ſiue vulgaris.* ἱερατικὴ, *qua vtuntur* ἱερογραμματεῖς. *qui de rebus ſacris ſcribunt.* et ἱερογλυφικὴ *ſacra ſculptura: Huius duae ſunt ſpecies* κυριολογικὴ *proprie loquens per prima elementa.* et συμβολικὴ *per ſigna. cuius alia proprie loquitur per imitationem, alia tropice, alia allegorice per aenigmata.*

p) *Loc. paullo ante cit. p. 505.*

q) *Section. I. diſſertat. ſ. II. p. XX.*

r) *l. c. p. 506.* vbi et Obeliſcum Pamphilium ſuum laudat.

s) *Libr. I. qui* Clio *inſcribitur, cap. CLXXXII. p. 73. ed.* GRONOV. *conf. ſ. II. ſection. II. diſſ. noſtrae p. LXII.*

crassam istam, de somno Dei, sententiam adtribuit, de qua supra pluribus exposuimus. Praeterea, et ea fuit apud Deltae adcolas opinio, quando tandem diuinae voluntati aeternas bonitatis suae diuitias ostendere placuisset, vt, tempore incipiente, produxerit primo, atque effecerit mundum eiusmodi, quem in sua lingua, *superexcelsum*, in ebraea vero, עולם המלאכים *angelorum mundum*, seu *intellectualem*, nuncupant. Duo scilicet aeua in Deo considerauere. primum, ab aeterno ad initium vsque temporis progrediebatur. alterum, a creationis initio duraturum itidem in aeternum est. quietem Deo adscripserunt in primo aeternitatis aeuo, quo Deum solum fuisse professi sunt, et cum eo nihilum. *in solitudine* porro *Deum fuisse, sibique soli, et a nullo principio adstitisse, in semet ipsum directum, et volutum, in se sibi praesentem, se ipsum perspicientem, et agnoscentem. in incomprehensibili caliginis suae* et quietis *abysso reconditum. in se foecundum, sibi cognitum, sibi peruium*, cetera [t]. Quibus verbis, fateor ego, vt sunt, recte explicatis, quid cogitari, dicique de Deo conuenientius possit, et magis congrui, parum equidem scio, nisi potius magis haec ex KIRCHERI ingenio, nimium sibi indulgentis, fuisse dicta, Aegyptiisque, numquam ista cogitantibus, tributa existimauerim, cum vix atque ne vix quidem, patrata Argi caede, in Aegyptum profugo, Thoth, sicut eumdem CICERO [u] adpellat, hanc sapientiam, et, in cognoscenda Dei natura, vim, veritatemque, adscripserim, qui proponere ista tam commode huic populo potuerit. tantum de philosophia barbarorum!

§. IIII

HOMERI, PHERECYDIS, BIANTIS, THALETIS, *et aliorum, adserta de quiescentia Dei.* CALLIERIVS *expensus.* IOECHER *laudatus.*

AD aliam longe, multoque et maiorem et meliorem historiae philosophicae partem accedo, nempe ad historiam greecae phi-

t) Sunt haec ATHAN. KIRCHERI, *in Oedip. Aegypt. Part. I. Tom. II. class. VI. cap. III. p. 405. 406.*

u) *De natura deor. lib. III. cap. XXII. p. 592.* conf. LACTANTIVM *diuinar. institut. lib. I. cap. VI. n. 3. p. 36. edit.* Cl. IO. LVDOLPH. BVNEMANNI.

philosophiae. Accepisse Graecos, ex Asia, sua philosophiae initia, partim ab iis, qui Asiam ex Graecia concesserant, partim etiam ab his, qui, Asia relicta, Graeciam habitatum venerant, dubium non est. Subtilis autem quamuis, et acuta, haec philosophia fuerit, eamdem tamen ab initio statim, atque PLATONIS fuit, et ARISTOTELIS aetate, adeo perfectam fuisse, neutiquam putandum est. sed, sicuti barbarorum, eodem modo et ipsam, rudem primo, exiguamque fuisse, immo vero, ne distingui quidem eam a barbarorum dictis potuisse, credi potest. quis enim, quaeso, summam sapientiae laudem, *Prometheo*, verbi caussa, *Lino*, *Orpheo*, *Musaeo*, *Thamyri*, *Melambo*, *Amphioni*, *Epimenidi*, aliis, adscriberet? aut, quis *Homero* adeo, vel *Hesiodo*, omnibus numeris absolutam philosophicae scientiae laudem adtribueret? notissimae sunt Homeri fabulae. at hic in primis scientiarum omnium, et sapientiae, fons habebatur! et quidquid nobis tandem HIEROCLES, PORPHYRIVS etiam, CELSVS, aliique, obiiciant, qui, explicari ista figmenta satis commode posse, contenderunt, bene tamen, missis his omnibus obiectionibus, fecisse, dudum ante, PLATONEM iudico, qui Homerum minime in rem publicam recepit. Quam absurdas de quiete somnoque deorum, satisqve stultas opiniones, ille ὁ πάνυ περιβόητος *Homerus* habuerit, satis in antecedentibus proposui, eaque ipsa re, locum, et numerum, et honorem, comparendi inter philosophos, penitus eidem, omnique omnino ex parte, denegaui [x]. Sed et nihil ma-

x) Vt fecit vir eruditissimus, IO. FRID. REIMMANNVS, cum eruditione Aegyptiorum, ita non desunt, qui Homero primas, in omni doctrina, et disciplinis omnibus, partes, decernunt. Exstat Anonymi liber, quem FRANCISC. CALLIERIVM (*François de Callieres*) quidam volunt, (conf. *l'état de la France de l'an. 1699. Tom. III. p. 437.*) cuius titulus est: *Histoire Poetique de la guerre nouvellement declarée entre les anciens et les modernes, à Amsterdam 1688. 12.* in quo recentioribus auctoribus omnibus praeferuntur antiquiores, et Homerus, tamquam inter stellas minores luna, eminet. vide etiam, quae copiose saepius habet, de doctrina Homeri, EVERARD. FEITHIVS *in antiquit. Homeric. insert. Tom. VI. thes. Antiqnit. Gr.* IAC. GRONOVII. REIMMANNVS clariss. *in Iliade post Homerum,* passim. FABRICIVS *biblioth. graec. libr. I.* DION. PETAVIVS *in rationario tempor. P. I. lib. I. cap. XII. p. 41.* et confer, qui pri-

gno opere, quod ſatietatem eruditorum explere poſſet, antiquiſſima iſta Graecorum philoſophia adferre poteſt, quae in quibusdam praeceptis, ex morum, et naturae doctrina, deſumtis, quae tamen plerumque fabulis obſcuris inuoluta erant, et abſcondita, veterumque gentium more, adſtricta numeris, conſtitit. *Pherecydes* [z] primus fuit, qui, conſentiente antiquitate, aliquam ſcientiae, et philoſophicae cognitionis laudem meruit. Et inter ſeptem ſapientes, qui circa idem tempus floruere, ſi tamen a *Biante*, Prienaeo [a], receſſeris, nemo, opinor, tueri nomen ſuum poterit, praeter ſolum *Thaletem*, Mileſium. Quorum etiam placita, ſiue dicta potius memorabilia, quantum fieri eorum potuit, in veterum monumentis, ſcriptisque, copia, multa cum diligentia, nobis ſeruauit STANLEIVS [b]. De quiete Dei autem, quamnam tandem habuerint ſeptemuiri iſti opinionem, conſtitui, ob ſcriptorum penuriam, qui copioſe nobis illorum vitas deſcripſiſſent,

mo loco nominandus erat, IO. IONSIVM *de ſcriptorib. hiſt. philoſ. lib. III. cap. XXXVIIII. p. 227. edit.* IO. CHRISTOPH. DORNII.

z) Quae de *Pherecyde* reſtant, perpauca ſunt, et quae CLEMENS ALEXANDR. *Stromat. lib. VI. p. 741.* adfert ex eius carminibus, tam obſcura etiam, et a communi ſenſu remota, prorſusque μυθικά, vt Cel. MOSHEMIVS ad CVDWORTHI *Syſtem. intell. cap. IIII. §. 4. p. 207.* non dubitet profari, quae ab HESIODO, ORPHEO, et reliquis poetis, qui de diis expoſuere, ſcripta ſunt, ea omnia, prae hoc, dilucida, et apertiſſima videri.

a) Quem dignum etiam iudicauit, qui peculiari diſputatione exponeretur, Vir Magnificus et S. R. CHR. GOTTL. IOECHER, cuius nomini admirationem perpetuam ſpondeo, et duraturum per vitam meam cultum et pietatem. Ita enim circa finem elegantiſſimae *diſp. qua Bias Prienaeus in numo argenteo ſiſtitur*, Vir celeberrimus loquitur: *produximus in ſcenam virum, pietatis ſincerae, virtutis ſingularis, prudentiaeque conſpicuae, qui inter primos certe, qui proprias naturae vires ad virtutum exercitia adferendo, in ſtadiis eorum progreſſus fecere non contemnendos, erit collocandus.* reliqua. et *§. XX. p. 33. laud. diſſ.* in ipſa infelicitate, refert, a Biante, quaeſitam animi quietem, tranquillitatemque eſſe, plurimorum more philoſophorum, qui, eum demum felicem ſtatuendum eſſe, putauerunt, qui αὐτάρκειαν et animi tranquillitatem ſit adeptus. Habemus hic et Dei αὐτάρκειαν, ex mea opinione, a Biante adſertam, cum ſine dubio in vita Dei feliciſſima, et omni vnquam infelicitate experte, tranquillitatem animi, cum tantum illud bonum ſit apud hominem, cum maxime extulerit.

b) Conf. VII. integra capita *de ſeptem ſapientibus* vſque ad *p. 87. hiſtoriae philoſoph. edit.* GOTTFR. OLEARII.

ſent, haud penitus poteſt. Quietem animi, tranquillitatemque ab iis omnibus in deliciis habitam fuiſſe, quis negauerit? ſecundum DIOGENEM LAERTIVM[c], dixit *Chilo*, Lacedaemonius, ἠρεμίᾳ χρῆσθαι, Corinthiusque *Periander*, καλὸν ἡσυχία. Quis igitur, Deo eamdem denegatam eſſe, ab his hominibus, exiſtimet, cum in primis per naturam rei, quae hominibus perfectionem aliquam indicant, ea demum Deo tribuuntur? Ita enim arguunt: haec res bona nobis eſt. haec res cum perfectionibus diuinis haud repugnat. cur, quaeſo, Deo non adtribuatur? Eodem modo, intellectum, voluntatemque Dei cognoſcimus, ſapientiam, bonitatemque eius intelligimus, iuſtitiam, veritatem, potentiam, perſpicimus, verbo, adtributa Dei omnia eodem modo explicamus. Veritati igitur nonne cum maxime eſt conueniens, quod et ab his ſapientibus nomen quietis Deo adtributum fuerit? quomodo enim cumque demum illud explicauerint, vt dixi, haud patet. Ita et de *Theognide*, et *Phocylide* ſentio, quorum verſiculi vel hodie ſuperſunt, vbi quietis fit ſaepiuſcule mentio, οὐ χρὴ κιγκλίζειν ἀγαθὸν βίον, ἀλλ' ἀτρεμίζειν[d], ille ait, et alio loco: ἥσυχος, ὥσπερ ἐγώ, μέσσην ὁδὸν ἔρχεο ποσσί, niſi forte, in quo quidem minime, vt arbitror, erraueris, inter ſcripta ſubpoſita referre, et horum, et qui his comites vulgo adiiciuntur, ſcriptorum, ſententias, potiore iure placuerit. At enim vero, circa idem tempus duo in Graecia viri vixerunt, plane aliam, eamdemque longe meliorem faciem, qui philoſophiae induerunt. alter ex ſeptem ſapientibus vnus eſt, ille ipſe Thales, quem iam e reliquorum grege ſeparaui, alter autem Pythagoras eſt. Ille Mileto, vrbe Ionica, oriundus, ſectae Ionicae auctor laudatur, hic, quoniam in inferiore Italiae parte, quae olim magna Graecia dicebatur, docebat, vt ſecta eius, et philoſophia adeo, adpellaretur Italica, occaſionem dedit. Haec annoſa philoſophorum arbor, per

c) *Vita Chilonis ſegm. LXX. p. 44.* et *vita Periandr. ſegm. XCVII. p. 61. edit.* MARC. MEIBOMII conf. etiam AEG. MENAGIVM ad h. l.

d) THEOGNIDIS *ſentent. p. 23. et 25. edit. opuſcul. Gnomograph. per* FREDER. SYLBVRGIVM. Traiect. ad Rh. 1692.

per duos ramos potiores, ex radice, Pherecydis, communis vtriusque praeceptoris, auram adſcendit, quorum ab vna parte caput Thales eſt, ab altera Pythagoras. Vita hiſtoriae et animus, ordinem puto, hic ſuadet, vt et ſuas leges vel hac ex parte obſeruem, dum illorum placita, et opiniones, de quiete Dei, quam breuiſſime tamen potero, iam explicauero. A parte Thaletis initium faciam, cuius adſeclarum etiam ſententias circa hanc rem, paragraphis quibusdam proponam, progrediente poſtea in medium, cum ſuis, Pythagora, qui, vt ille Zenonem in primis, Cittieum, nunc Epicurum nobis, Democritum, Leucippum, aliosque, quietis diuinae vel adſertores et propugnatores, vel potius deſtructores, cariſſimos vndique diſcipulos, intento digito demonſtrabit. Commode ſatis admodum ſenſiſſe THALES de ſupremo numine fertur. DIOGENES LAERTIVS certe, φέρεται, ait[e], ἀποφθέγματα αὐτοῦ τάδε. πρεσβύτατον τῶν ὄντων, θεός· ἀγέννητον γάρ· κάλλιστον, κόσμος. ποίημα γὰρ θεοῦ. et rurſus, τί τὸ θεῖον; τὸ μήτε ἀρχὴν ἔχον, μήτε τελευτήν. quamuis enim ἀρχὴν τῶν πάντων, ὕδωρ dixerit, falſiſſime tamen CICERO[f] eum interpretatur, atque ſi principium materiale, vna cum efficiente, aeternum ſtatuta, quod a mente eiusdem eſt ſicut id iam alii faſſi ſunt, quam longiſſime alienum. De prouidentia autem, num per omnia recte ſtatuerit, neutiquam ego quidem diſputauerim, facit enim hic cum *Diogene*, STOBAEVS, qui, Thaletem, fortiſſimum quid ſit? interrogatum, reſpondiſſe, neceſſitatem illas ſibi partes vindicare, adfirmat, ἰσχυρότατον, ἀνάγκη· κρατεῖ γὰρ πάντων, et PLVTARCHVS, Θαλῆς, ait, ἰχυρότατον ἀνάγκη· κρατεῖ γὰρ τοῦ παντός, et paullo poſt adiicit, τὴν αὐτὴν εἶναι καὶ εἱμαρμένην, καὶ δίκην, καὶ πρόνοιαν, καὶ κοσμοποιόν. Quod ad ſententiam eius de quieſcentia Dei adtinet, retulerim huc, quod huic

e) *Vita Thaletis lib. I. ſegm. XXXV. p. 21. edit.* MEIBOMII.

f) *De natur. deor. lib. I. cap. X. p. 476. Thales, Mileſius,* ait, *aquam dixit eſſe initium rerum: deum autem, eam mentem, quae ex aqua cuncta fingeret. Si dii poſſunt eſſe ſine ſenſu et mente, cur aquae adiunxit, ſi ipſa mens conſtare poteſt vacans corpore?*

huic auctori STOBAEVS[g] tribuit, et, quod STANLEIVS[h] adeo, ab ARISTOTELE etiam, quamuis omissa auctoris cuiusdam mentione, adductum esse, profitetur, *Deum* nempe *primum motorem esse inmobilem*. Demonstrabo circa finem disputationis, posse cum quiete Dei prouidentiam eius quam optime consistere, immo vero, consistere eamdem necessario etiam oportere. Thales igitur, quando *inmobilem* Deum dicit, praeter quietem eiusdem, aliud, quid indicauerit, ego certe parum video. quando *motorem* eum nominat, quid aliud innuerit, praeter solam prouidentiam, rerumque omnium conseruationem? Deum igitur, dixit, eam mentem esse, (*mentis* autem vocabulo et ipse CICERO vtitur,) quae, quamuis, quae sunt in vniuerso, omnia conseruet, et tueatur, eo tamen statu, eaque animi conditione permaneat semper, vt nulla commotione tactus eiusmodi, quae turbare pacem eius, tranquillitatemque, possit, ista semper pulcritudine fruatur, quam in semet ipso habeat. Si enim, quem creauit Deus, mundum, pulcrum eumdem, vt fecit re ipsa, Thales statuerit, quam absolutam, quaeso, auctori potius suo, pulcritudinem, fas fuerit adscribere? Id, quod nec a mente Thaletis, nec a iudicio eiusdem, abhorret. Quamuis enim illud, cum adducta modo, ex PLVTARCHO[i], et STOBAEO[k], sententia, haud conuenire videretur, dandum tamen omnino esse aliquid antiquorum philosophis, circa hanc rem, existimauerim. vix enim, ex omni veterum turba, inuenies vnicum, quin, seu in hac, seu illa re, quam fortissime contra se ipse dixerit, aut quem perpetuus semper, sibique constans, in omnibus, animus nobilitauerit. satis est, modo de vna re informare animum distincte possimus, quo cohaereant modo veterum placita cum

g) *Eclog. Physic. cap. VIII. p. 10. edit.* CANTERI *de anno 1575.*
h) *Tom. I. cap. VI. Sect. II. histor. philos. p. 11.* vid. ARISTOTELES *physicor. lib. VIII. cap. VI. p. 329. edit.* ISAAC. CASAVBONI. *τὰ μὲν ὑπὸ ἀκινήτου κινεῖται ἀϊδίου, διὸ ἀεὶ μεταβάλλει·* et, interiectis quibusdam, haec habet: *τὸ δ' ἀκίνητον, ὥσπερ εἴρηται, ἅτε ἁπλῶς καὶ ὡσαύτως καὶ ἐν τῷ αὐτῷ διαμένον, μίαν καὶ ἁπλῆν κινήσει κίνησιν.*
i) *De placitis philosophor. lib. I. cap. XXV. p. 884. ed. Francof.*
k) *loc. lit. g) cit.*

cum reliquis, lubentiſſime omiſſuri. verum et hic eſt, quod Cato, apud LIVIVM, ait, *nulla res ſatis commoda in omnibus eſt, id modo quaeritur, ſi maiori parti, et in ſummam prodeſt.*

§. V

ANAXIMANDRI, ANAXIMENIS, ANAXAGORAE, ARCHELAI, SOCRATIS, XENOPHONTIS, *placita, de quiete Dei.* BARLAEVS *refutatus.* PVFENDORFII *opinio reiecta. ſententia Socratis:* Deus eſt intellectus vniuerſalis.

THALETIS fuit, in ſchola Ionica, ſucceſſor, *Anaximander*, Mileſius, cuius Deum, vt et alia placita, CICERO [l] nobis, PLVTARCHVS [m], et LAERTIVS [n] ſiſtunt. quorum ſecundus [o], cum, quam iſte adſcripſit Deo, *inmutabilitatem*, explicatam hanc, ab eodem, non ſatis eſſe, profiteatur, quamuis non putide, ſi quietem Dei inde, tamen, eruerem, argumentarer, nihilominus in partes meas eamdem vocare iam nolo, ſed potius, non ſecus, atque *Anaximenis* opinionem, qui, dum *inmenſum*, Deum, *et infinitum, ſemperque in motu*, dixerit, omnem penitus ab eodem quieſcentiam ſuſtulit [p], et *Anaxagorae* illam, qui *Deum ſeipſum mouentem*, STAN-

l) *Academ. quaeſtion. lib. IIII. cap. XXXVII. p. 73.* naturam nempe Anaximander infinitam dixit, ne quid deficeret, partesque eius mutari quidem, totum vero inmutabile eſſe, vid. DIOG. LAERT. *lib. II, ſegm. I. p. 78.* Addit STANLEIVS *hiſt. phil. P. II. c. II. ſect. I. p. 97.* a SIMPLICIO adfirmari, partes infiniti poſſe eas omnes moueri, *in Phyſic. lib. I. cap. II. et VI.* conf. ARISTOTELES *phyſicor. lib. III. cap. IIII. p. 275. edit.* CASAVBON. διὸ, καθάπερ λέγομεν, οὐ ταύτης ἀρχὴ, ἀλλ᾽ αὕτη τῶν ἄλλων εἶναι δοκεῖ, καὶ περιέχειν ἅπαντα, καὶ πάντα κυβερνᾷν, ὥς φασιν, ὅσοι μὴ ποιοῦσι παρὰ τὸ ἄπειρον ἄλλας αἰτίας, οἷον νοῦν, ἢ φιλίαν· καὶ τοῦτο εἶναι τὸ θεῖον· ἀθάνατον γὰρ καὶ ἀνώλεθρον, ὥσπερ φησὶν ὁ Ἀναξίμανδρος, καὶ οἱ πλεῖστοι τῶν φυσιολόγων· per *infinitum* hoc, a recentioribus quibusdam, Deus adeo deſignatur, quem ſublatum ab Anaximandro alii rurſus volunt, quibus adhaeret ipſe CVDWORTHVS, *in ſyſtem. intell. c. III. §. XXI. p. 124.*

m) *De placit. philoſoph. lib. I. cap. III. p. 875.*

n) *In vita Anaximandri. lib. II. ſegm. 1. p. 79.*

o) *Loco mox citato p. 876.* ἁμαρτάνει δὲ τοῦτο, μὴ λέγων, τί ἐστι τὸ ἄπειρον, πότερον ἀήρ ἐστιν ἢ ὕδωρ, ἢ γῆ, ἢ ἄλλα τινὰ σώματα. ἁμαρτάνει οὖν, τὴν μὲν ὕλην ἀποφαινόμενος, τὸ δὲ ποιοῦν αἴτιον ἀναιρῶν. τὸ γὰρ ἄπειρον, οὐδὲν ἄλλο ἢ ὕλη ἐστίν· οὐ δύναται δὲ ἡ ὕλη εἶναι ἐνέργεια, ἂν μὴ τὸ ποιοῦν ὑποκέηται.

p) Ita enim CICERO habet, *de nat. deor. libr. I. cap. X. p. 477.* quamquam EVSE-

STANLEIO[q] teste, et νοῦν, ἀρχὴν κινήσεως, secundum DIOGENEM[r], fecit, iam missas faciam, nihilque prorsus de aeterna ista, et infinita ὕλῃ[s], Deo illo, ὁμοιομερειῶν parentis, egregio, commemorabo, cui quietem ab eodem tributam esse, ARISTOTELES[t] idoneus admodum auctor est, vbi haec de Anaxagora, Clazome-

 nio,

EVSEBIVS *in praepar. Euangel. lib. I. cap. VIII.* de infinitate aëris paullo aliter sensisse, et τὸν ἀέρα εἶναι τῷ μὲν γένει ἄπειρον, ταῖς δὲ περὶ αὐτὸν ποιότησιν ὡρισμένον, dixisse, tradat. sed SIMPLICIVS, *in comment. in libr. Phys. cap. VI. α.* de Anaximenis opinione loquens, hunc, ab Anaximandro, in eo discessionem fecisse, adfirmat, quod infinitam minime, sed circumscriptam limitibus suis, naturam, dixerit, aeremque adpellitauerit. Ad hanc similitudinem, putarem ego, VIRGILIVM aliquantulum dicere *Georgic. lib. II. vers. 375. Tum pater omnipotens fecundis imbribus* aether *coniugis in gremium laetae descendit, et omnes magnus alit magno, permistus corpore foetus.* quod tamen vrgere iam nollem. *In vita Theophrasti*, meminit DIOGENES LAERTIVS, *libr. V. segm. XLIII. p. 292.* scriptum librum ab eodem fuisse, de dogmatibus Anaximenis, quem, nisi longa nobis annorum series, et tractus temporum, eripuisset, varias, sine dubio, rationes, circa huius philosophi, de Deo, eiusque proprietatibus, ex eodem, placita, repetere possemus, silentio iam omnes a nobis praetermittendas. Ceterum, de hocce Ionicorum philosophorum, quoad primum rerum principium, Deum, consensu et discrimine, confer, quae eleganter admodum disputata sunt, *in obseruation. ad rem litterar. spectant. tom. I. obseru. XXI. §. VIIII. seq. p. 450.*

q) *Histor. philosoph. Part. II. cap. II. sect. I. p. 102.*

r) *In vita* Anaxagorae. *lib. II, segm. VIII. p. 84.*

s) DIOG. LAERTIVS *in vita eius l. c. segm. VI. p. 82.*

t) *Physicor. lib. VIII. c. I. p. 320. ed.* CASAVBON. coll. cum *libri III. c. IIII. p. m. 274.* Hoc tamen inter omnes fere constare arbitror, statuisse ANAXAGORAM, ab aeterna mente conditum hoc naturae opificium, et ordinatum esse, quamuis, quo iure a LAMBERTO BARLAEO, *ad* LVCIANI *Timonem p. 77. 78. ed.* GRAEVII, vt, per istam, de Deo, veritatis professionem, sicuti Socrates, ἀθεότητος adcusatus fuerit, adfirmetur, ego non videam. aliter enim longe narrat rem gestam LAERTIVS, dignissimus fide scriptor, scilicet διότι τὸν ἥλιον μύδρον ἔλεγε διάπυρον *libr. II. segm. XII. p. 87. quod globum ignitum, solem dixerit*, (ita enim a VOSSIO vertitur *de ortu et progress. Idololatr. l. I. c. 1. p. 4.* cum latina AMBROSII interpretatio, minus commode, *laminam candentem et plane ignitam* habeat,) adcusatum propterea eumdem fuisse. Idemque vir doctus, quando, loco mox citato, Anaxagorae, hunc versum, νοῦς ἐστι διακοσμῶν τὸ τῶν πάντων, αἴτιον, tribuendo, ex LAERTII *libro II.* probatum it, errat aliquantum, cum nusquam is in vita philosophi Clazomenii adpareat, quam diligentissime a me quaesitus. Cuius autem occasione, memoria forsan lapsus fuerit BARLAEVS, locus is, LVCIANI, elegantissimus, sistit nobis Iouem, adcusantem impietatem Anaxagorae, ὃς ἔπειθε τοὺς ὁμιλητὰς, μηδὲ ὅλως εἶναί τινας ἡμᾶς τοὺς θεούς, et narrantem simul, duas fulminis sui maximas fuisse cuspides detrusas, dum in Anaxagoram illud emittens, alliserit.

vid.

nio, exponit: Φησὶ ἐκεῖνος, ὁμοῦ πάντων καὶ ἠρεμούντων τὸν ἄπειρον χρόνον, κίνησιν ἐμποιῆσαι τὸν νοῦν καὶ διακρῖναι[x]. *Socratem* potius in medium producam, qui, quamuis Ionicam sectam paullo inmutauerit, seposita enim naturae cognitione, vnice fere, ad morum doctrinam excolendam, se conuertebat, eum tamen, nihil omnino, de Deo, cognitioni suae reliquisse, putandum non est. cum certe vel in hoc scientiae capite, prae reliquis, eminuerit, Deumque, et posse omnia, et scire, adesse etiam vbique, atque, de rebus humanis, omnia mortalibus significare, docuerit, planeque, quod

vid. p. 78. ed. GRAEVIANAE. Adeat hunc locum, cui volupe est, BARLAEVM, sibi ipsi repugnantem, et in vna quidem pagina, audire.

u) ARCHELAVM autem, Atheniensem, dimittere ego sine commemoratione non possum. siquidem is primus fuerit, qui hominum actiones, per naturam suam, neque bonas esse, neque malas contendit, sed lege demum ita fieri. v. LAERT. *lib. II. segm. XVI. p. 89.* conf. AEG. MENAGII *obseru. p. 79.* τὸ δίκαιον εἶναι καὶ τὸ αἰσχρὸν οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ. opinionem, nostra aetate ad nauseam vsque agitatam! quam, cum defenderet SAMVEL. PVFENDORFIVS, quod sollemne est animulis quibusdam, vagulis, blandulis, ἄθεος statim factus est, cum vicissim, apud multos, hodie, sit huius criminis reus, qui ARCHELAI illud placitum negauerit. Scilicet, vtrum ab ipsa rerum natura, an a voluntate diuina repetendae sint legum naturalium caussae, disputatum est. sed quod in plerisque controuersiis accidit, verbis magis, sententiae, quam re, discreparunt. Qui enim leges naturales a voluntate diuina arcessunt, dum, harum rationes repetentes, ad effectus actionum necessarios confugiunt, ex ipsa rerum natura caussas legum naturalium duci oportere, tacite confitentur. quis enim, quaeso, a voluntate diuina, demonstrationem huius rei ducat, et rationem adferre iussus, quare tandem nullam rem per se aut bonam, aut malam putaret, quia Deo ita placuit, dicat? hoc est, quae iam honestia sunt, si Deo aliter visum fuerit, posse etiam turpia esse, et castum esse, potuisse etiam inter vitia referri? qui contra, rem quamque, aut bonam esse, aut malam per se, profitentur, cum, quae sunt, has res Deus et esse voluit, a Deo etiam has leges perlatas esse, profiteantur, necesse est. Quas autem leges, generi humano, non demonstrandae vnius potestatis caussa, sed sapientiam suam in consilium vocans, Deus constituit, propterea constituit, quia rerum naturae aliae repugnant, aliasque dare, quam, quas et natura rerum, et essentia, desiderat, indignum certe Deo est. Cum igitur, voluptas et dolor, ex actionibus, tamquam caussis suis, necessario proficiscantur, quod autem voluptatem nobis constantem adfert, bonum, quod dolorem, malum sit, quomodo demum, natura esse actiones aut bonas, aut malas, negari possit, ego non video, nisi forte, qui, cum in iure ciuili, leges, a principum voluntate, interdum pendeant, his tractandis adsueti, et in naturali iure vsui id venire posse, existimant. lege, si elegans es, IO. AVGVST. ERNESTI, Viri Clarissimi, cui ego omnem litterarum amorem, omnemque hinc obseruantiam debeo, *praefat. Parti II. init. doctr. solidior. praemiss.* et confer *ibid. p. 390. et 391.*

ad eius quietem adtinet, non eam inpressam animo opinionem fouerit, atque otiosus ille, et deses rerum mortalium, despiceret eadem, opusque suum prorsus negligeret, sed benigne potius rebus humanis prospicere, sapientique suo moderamine omnia gubernare, *Deum porro in semet ipso perfectum esse, in semet ipso bonum, et pulcrum, bonorumque post mortem animos beatitudine frui, cum Deo, in loco iucundo, ad quem accessus mortalium memini pateat.* PLATO haecce nobis, et bona quidem fide, narrat, in *Phaedone* [a]. At enim vero, cum ex beatitudine diuina fluat, et quasi redundet, ista voluptas, quam Deus ex perfectionibus suis percipit, *quies*, hanc, quis, quaeso, negatam esse a Socrate, iure adfirmare audeat? sane, cum de prouidentia etiam summi numinis, cui deberi cuncta, et voluntate diuina, citra quam nihil vmquam euenire possit, adeo praeclare senserit, *istam*, huius philosophi, auderem, inter has, referre opinionem, quae fuere in omni antiquitate, Deo conuenientissimae. XENOPHON [b] certe, discipulus eius, et amicus coniunctissimus haec de eo praedicat, *καὶ γὰρ ἐπιμελεῖσθαι*, dicit, *Θεοὺς ἐνόμιζεν ἀνθρώπων, οὐχ ὃν τρόπον οἱ πολλοὶ νομίζουσιν. οὔτι μὲν γὰρ οἴονται, τοὺς θεοὺς τὰ μὲν εἰδέναι, τὰ δὲ οὐκ εἰδέναι. Σωκράτης δὲ πάντα μὲν ἡγεῖτο θεοὺς εἰδέναι, τά τε λεγόμενα καὶ πραττόμενα, καὶ τὰ σιγῇ βουλευόμενα, πανταχοῦ δὲ παρεῖναι καὶ σημαίνειν τοῖς ἀνθρώποις περὶ τῶν ἀνθρωπείων πάντων.* quibus certe verbis, quid praeclarius tandem dici possit, parum equidem video. porro, PLVTARCHVS [c] etiam, quam bene de opinione Socratis, circa notionem de Deo, sentiendum sit, his verbis indicat: *Σωκράτης τὸ ἓν τὸ μονοφυὲς, καὶ αὐτοφυὲς τὸ μοναδικὸν, τὸ ὄντως ἀγαθὸν* Deum existimat. Laudasse omnino Socratem, quietem et otium, tamquam possessio-

a) *Opp. Tom. I. p. 64. seq. ad 82. edit.* IO. SERRANI. Parisiis 1578. Ceterum, quae Socratis de Deo, rebusque diuinis sententia fuerit, copiose exposuit vir olim doctissimus, IO. FRANCISCVS BVDDEVS, *in histor. eccles. V. T. tom. II. period. II. sect. VI. §. XIII. p. 1062. seq.*

b) *In memorabilium Socratis dictor. lib. I, cap. I. §. 19. pag. 8.* editionis elegantissimae, Lipsiae, opera Praeclarissimi ERNESTI nostri, quem modo laudaui, necque vmquam laudare desinam, adornatae.

c) *De placit. philosophor. lib. I. cap. VII. p. 881. D. ed. Francof.*

num omnium pulcerrimam, ex STANLEIO[d] patet, qui vestigia secutus DIOGENIS LAERTII[e], de diuino Socrate, qui de caelo, in terram, philosophiam morum deuocauit, ista habet: καὶ ἐπῄνει σχολὴν, ὡς κάλλιστον κτημάτων. Ex his, et aliis pluribus, quietem Dei, patet, ab eodem, in beatitate diuina, cum conseruatione huius vniuersi coniuncta, relatam fuisse[f], quod et, quo minus de *Xenophonte* adfirmetur, quid impedit? CLEMENS[g] certe, *Alexandrinus* catecheta, fidem eius rei abunde facit, vbi, dum a cicutae timore eumdem, quae statueret, vetitum fuisse, adfirmat, quin palam profiteatur, de Deo verba fecisse, dicit, eiusmodi, atque is mouere cuncta, aut quieta efficere possit, immo vero adeo, atque is principium omnino, et motus, et quietis sit, ὁ γοῦν τὰ πάντα σείων, ait, καὶ ἀτρεμίζων. ὡς μὲν μέγας τὶς, καὶ φανερὼς δυνατός· ὁποῖος δὲ τις μορφὴν ἀφανής· aliis vero, qui adferre quietem potest, is, nonne principium est, et fons, quietis omnis?

§ VI

DIODORI, Croni, *negata mutatio et adserta quies aeternae materiae.* ARISTIPPVS *refutatus.* PLATONIS, *de quiescentia Dei, sententia.*

DISCIPVLI Socratis, nouarum sectarum auctores, et conditores celeberrimi, si a paucis discesseris, qui tamen et ipsi, famam

d) *Hist. philosoph. P. III. c. V. de philos. Socratis p. 122.*

e) *In vita eius lib. II. segm. XXXI. p. 99.* confer MENAGIVM *in h. l.*

f) Ex loco PLATONIS lit. a) adducto, Deum nempe esse τὸ ὂν, αὐτὸ ἕκαστον, αὐτὸ τὸ καλὸν, αὐτὸ τὸ ζωῆς εἶδος, immo vero, ex ipsa adeo finitione Dei, ab eodem formata, Deum nempe esse *intellectum vniuersalem*, constat etiam, Deum in semet ipsum cogitationes suas dirigere, perfectionesque suas contemplari. qui enim omnia intelligit, nae is, vt semet ipse ignoret, dici omnino nequit. porro, omnis perfectionis contemplatio, voluptatem, et summae perfectionis contemplatio, summam etiam voluptatem, excitat. sensus et adperceptio summae voluptatis, beatitudo est. ex beatitate autem, cum quies oriatur, patet, vel hoc modo, a Socratis ista definitione, ad Dei adquiescentiam in se ipso, duci rationem posse. vide, quae PLVTARCHVS habet *de placit. phil. lib. I. cap. III. p. 878.* B. CVDWORTH *in syst. intellect. cap. IIII. §. XXIII. p. 480. seq.* STANLEIVS *hist. philos. P. III. c. V. sect. I. p. 116.* GOTTFR. OLEARIVS *in diss. de genio Socratis §. III. p. 137.* STANLEIO *inserta.* confer etiam *sectionem III. dissert. nostrae vniuersam.*

g) *Protrepticon. p. 35.* et *Stromat. lib. V. p. 438. edit. Coloniens.*

mam nominis, et multam gloriam adepti sunt, in ore omnis antiquitatis, cum praeclara, meritorum suorum, commemoratione, versantur. quorum in recensendis ego nominibus, minime sane, cum in primis ex vita eorum pateat nihil, vnde in rem produci meam quidpiam poterit, nimius ero, et copiosus Missis igitur sectis, *Cyrenaica*, *Eliaca* etiam, siue *Eretrica*, quibus, tamquam capita, et huic quidem *Phaedo*, illi autem, *Aristippus*, praesunt [h], vnum ex *Euclidis*, Megarensis, successoribus, et e secta quidem Megaricorum, *Diodorum*, ob *Apollonii*, Croni, disciplinam, qua erat in primis inbutus, *Cronum* et ipsum adpellatum, (Iaso enim ortus erat, ciuitate Cariae,) hunc, inquam, Diodorum, vel verbulo in medium producam. Quemadmodum enim ex Eleaticis, *Parmenides*, et *Melissus*, *Zeno* etiam, Eleates, omnem omnino motum negauerunt, ita et hic, argumento nixus acutissimo, quod SEXTVS EMPIRICVS [i] adfert, moueri nihil in hoc vniuerso credebat. Quantumuis vero, quid, de quiete Dei, senserit, vix pateat primum intuentibus, ex ista tamen motus omnis negatione, opinio haecce, necessaria quadam consecutione, efficitur. Ab omnibus enim fere veterum philosophis, aeternitatem fuisse, materiei exsistentiae, necessitatemque, tributam, eamdemque adeo et Dei loco, numeroque habitam, notum est. quid autem, quamuis nihil

h) De *Aristippo* exstat FRID. MENZII, Decani iam facultatis philosophicae spectabilis, commentatio, Halae 1719. edita. in qua tamen, quod in meam sententiam, *de quiete Dei*, traduci posset, nihil inuenio. Cum enim ipse, nusquam diserte exponi, quo, erga res diuinas, modo, adfectus Aristippus fuerit, fateatur, nefarium saltem contemtorem eumdem minime fuisse, euincere putat, necque inepta et ridicula de natura deorum finxisse. *potius*, (haec enim p. 116. habet) *exemplo Socratis territum, meliora de Deo* prudentem *philosophum premere, quam cum sui exitio in vulgus propalare, et diuinam maiestatem submisse colere, quam acute de eius natura disputare* voluisse. quod tamen pessimum certe mihi Aristippi facinus videtur. de rebus enim diuinis, Deique proprietatibus, et natura, si meliora animo reposta habes, differere, et si vel maxime cum exitio id fiat suo, et gentilis philosophus tenetur. Ceterum, in Cyrenaicorum classem, Hegesias, πεισιθάνατος, Theodorus, Anniceris, et Bion: in Eliacorum autem, Menedemus, Eretricus, et Plistanus, merum nomen, referuntur, de quibus STANLEIVM confer, *histor. philosoph. P. III. capp. VI. VII. VIII. cet.*

i) *Pyrrhoniar. hypotypos. lib. III. cap. VIII. §. LXXI. p. 147. ed.* FABRICII.

hil expresse eiusmodi, de Diodoro, legamus, quae enim de eo legimus, ea omnia paucissima sunt, quid, inquam, cum parum adeo remotus, ab Anaxagorae aetate, fuerit, quin eamdem sententiam fouerit, securos nos reddit? iam vero, si ab aeterno, nullo auctore, materia est, est profecto necessaria. si autem necessaria est, mutari necque eamdem vllo modo posse, necesse est. hinc, nisi omnem, cum sensu, rationem eiurauerimus, concedamus nos oportet, mutationis nullum genus in materia, nisi, quam motus partium adfert, habere locum posse, necque ergo in aeternam et necessariam materiam, cadere motum. cum igitur priuatio motus, et permanentia in eodem loco, quies sit, motus autem transferri in aeternam et necessariam materiam, qui Deus est apud veteres, haud possit, demonstrari hoc modo quietem Dei posse, in aprico est. Est autem mechanica ista quies, quae competere illa quidem corporibus, sed inter diuinas proprietates referri neutiquam poterit, iure a nobis iam iam omittenda. Maxima potius, semper, cum inter sectas, a Socrate deriuatas, auctoritas, Academiae fuerit, gentibusque etiam, a sacro Dei cultu alienis, fere omnibus, cum sapientiae palmam *Plato* praeripuerit, columen illud, secundum AVGVSTINVM[k], sublimisque philosophorum apex! dignus erit sane, fateor, qui adducatur. Certum hoc est, Deum dormientem a Platone minime admissum fuisse, cum inprimis DIOGENES LAERTIVS[l] hanc sententiam ipsi tribuat: κοινώμενος δὲ ὀυδεὶς ὀυδενὸς ἄξιος. commodam satis, potius, fouisse eumdem, de supremo numine, sententiam, persuasus sum, quamuis, absurdam esse illorum opinionem, putem, qui, nescio, quam trinitatem, cum sacratissima nostra, quam Christiani adoramus, conuenientem exacte, ex eius pariter, et Platonicorum, scriptis, nobis obtrudunt, quorum intempestiuum feruorem, cum alii, refutarunt, tum

k) *De ciuit. Dei lib. VIII. cap. V. p. m. 83. B.* verba eius haec sunt: *Non solum erga ista, quae duae theologiae continent, fabulosa scilicet, et ciuilis, Platonicis philosophis cedant, qui verum Deum, et rerum auctorem, et veritatis illustratorem, et beatitudinis largitorem esse dixerunt. Sed alii quoque philosophi cedant his tantis et tanti Dei cognitoribus viris.* cetera.

l) *In vita eius. lib. III. segm. XXXVIIII. p. 187.*

tum et in primis fecit Lipſiae, IO. BENED. CARPZOVIVS[m], auus meus. Egregium tamen nobis argumentum, vt miſſa reliqua faciam, de quiete Dei, vnus ex Platonicis, IAMBLICHVS[n], praebet, qui non immediate, et, a *λόγῳ*, ſeu *Ratione*, et, ab *Anima mundi*, curari res humanas, ſed per alios intermedios Deos, propterea putat, quoniam ceterum Deus, ſi adminiſtratione rerum ſingularium occupatus eſſet, *ad liquidam nequiret, et imperturbatam gubernationem adſpirare*, quae certe, in ſe, anxietatem quamdam, miſeriamque ſummam haberet. En! vero, ipſum IAMBLICHVM! *ὡς δὲ αὐτοὶ ταῦτα δρῶσι προσεχῶς ἐφαπτόμενοι τῶν τοῦ ἀνθρωπείου βίου πράξεων οὐδενὶ συγχωρητέον λέγειν· μεριστή τε γάρ ἐστιν ἡ τοιαύτη προστασία τῶν τῇδε, καὶ μετὰ τινος ἐπιστροφῆς ἐπιτελεῖται, χωριστή τε οὐκ ἔστι πάντῃ σωμάτων, καὶ οὐ δύναται δέξασθαι τὴν καθαρὰν καὶ ἄχραντον ἐπιστασίαν.* PLVTARCHVS quidem, quod Deum faciat Plato, res humanas curantem, mundumque adeo, illa ipſa de cauſſa, adornantem, inter errores eius refert, adiicit tamen verba ſimul elegantiſſima, quae, quamuis longiora paullo, ſunt illa tamen neceſſario adducenda[o]. ita vero, *καὶ πάλιν ὁ θεὸς*, ait, *ὃν λέγουσιν, ἤτοι τὸν ἔμπροσθεν αἰῶνα οὐκ ἦν, ὅτε ἦν ἀκίνητα τὰ σώματα, ἢ ἀτάκτως ἐκινεῖτο, ἢ* ΕΚΟΙΜΑΤΟ, *ἢ ἐγρηγόρει. ἢ οὐδέτερον τούτων. καὶ οὔτε τὸ πρῶτόν ἐστι δέξασθαι· (ὁ γὰρ θεὸς, αἰώνιος) οὔτε τὸ δεύτερον.* ΕΙ ΓΑΡ ΕΚΟΙΜΑΤΟ ΕΞ ΑΙΩΝΟΣ Ο ΘΕΟΣ, *ἐτεθνήκει. αἰώνιος γὰρ ὕπνος ὁ θάνατός ἐστιν.* ΑΛΛ ΟΥΤΕ ΔΕΚΤΙΚΟΣ ΥΠΝΟΥ ΘΕΟΣ· *τὸ γὰρ ἀθάνατον τοῦ θεοῦ καὶ τὸ ἐγγὺς θανάτου, πολὺ κεχώρισται. εἰ δε ἦν ὁ θεὸς ἐγρηγορὼς, ἤτοι ἐνέλειπεν εἰς εὐδαιμονίαν, ἢ πεπληρώκει μακαριότητα, καὶ οὔτε κατὰ τὸ πρῶτον μακάριός ἐστιν ὁ θεὸς (τὸ γὰρ ἐλλεῖπον εἰς εὐδαιμονίαν οὐ μακάριον) οὔτε κατὰ τὸ δεύτερον. μηδὲν δὲ ἐλλείπων, κεναῖς ἔμελλεν ἐπιχειρεῖν πράξεσι.* aberat enim longe a mente

m) *In Diſſ. de Trinitate Platonica, quae eſt XXIII. in Vol. Diſpp. collectar. theſi VI. p. 1103.*

n) *De myſteriis ſect. V. cap. XVII. p. 132. edit.* THOM. GALE.

o) *De placitis philoſoph. lib. I. c. VII. p. 881. C. edit.* WECHELIANAE.

mente Platonis, eiusmodi, imperfectionem Deo tribuendi, cogitatio, quamuis Epicureus ille Velleius, apud CICERONEM[p], nihil omnino recte de Deo tradidisse eumdem, criminetur[q]. necque vero de nihilo, ego[r], LVCII APVLEII[s] esse, in hac re, auctoritatem, arbitror, qui ex mente Platonis, *Deus vnus est*, ait, *ἀπερίμετρος, genitor rerum omnium, extortor, beatus et beatificus, (quietus,) optimus, nihil indigens, ipse conferens cuncta*[t]. Scilicet, turbari quies Dei, per creationem huius vniuersi, neutiquam potuit, quod PLVTARCHVS, contra Platonem, disputat, aut, per conseruationem eiusdem, vel nunc, vllo modo potest. ideam enim Dei valde imperfecti habent, qui eumdem defatigatum iri statuunt, si vel inmediate etiam, tamquam gubernator, huic vniuerso, adsistere dicatur, quod infra pluribus ostendam. sed, si fingere ad similitudinem aliquam, per notionem quamdam imaginariam, licet, quemadmodum, dicerem, quantumuis ipse homo quiescit, sanguis tamen apud eumdem mouetur perpetuo, ita et Deum conseruare omnia et gubernare, agereque in quiete sua, quae non turbatur, perpetuo. Hoc certe loco ostendisse mihi sufficit, eamdem fuisse, a Platone, circa quietem Dei, sententiam, quam et nutriuit Socrates, nutritam[u].

§. VII

p) *De natura deor. lib. I. cap. XII. XIII. p. 478. seq.*

q) vid PLVTARCH. *l. c.* coll. cum *cap. V. p. 879.* et *X. p. 882.*

r) Digni sunt, qui conferantur, CVDWORTHVS *syst. intell. c. IIII. §. 13. p. 238. seq.* et interpres latinus, cel. MOSHEMIVS *in animadu. h. l.* qui contra CVDWORTHVM multa disputat, iisdem vsus argumentis, quibus WOLFIVS *in Manichaeism. ante Manich. sect. 2. §. 33. p. 138.* iam ante, eumdem refutauerat.

s) *De dogmatibus Platonis.* t) conf. SENECAE, *epist. LXIII.* integram.

u) HESYCHIVS in libro *περὶ τῶν ἐν παιδείᾳ διαλαμψάντων σοφῶν in vita Platonis* haec de eius doctrina habet *p. 33. edit.* IO. MEVRSII *L. B. 1613.* ἔστι δὲ τῶν εἰδῶν ἕκαστον ἀΐδιόν τε καὶ νόημα, καὶ πρὸς τούτοις ἀπαθές, quae verba reddidit ADRIAN. IVNIVS *inter ideas autem vnum est aliquod sempiternum, et intelligentia ipsa, omniumque affectionum vacuum* vid. *p. 42.* Haud obscure quies Dei his dictis innuitur. nam et ipsa tranquillitatis notio libertatem sibi ab omnibus animi commotionibus poscit, et consistere cum iis nullo modo potest. Quid? quod ipsa PLATONIS definitio, de Deo, nihil aliud, quam mera Dei quies sit? ita enim ille: *Deus est animal immortale, ad beate viuendum sibi ipsi sufficiens.* conf. *definitiones sub finem Opp.* et alio loco, καὶ ὁ μὲν δὴ ταῦτα πάντα διατάξας, ait, ἔμενεν ἐν τῷ ἑαυτοῦ κατὰ τρόπον ἤθει. Quod si vero is, qui cuncta composuit, in suo

con-

§. VII

ARISTOTELIS *opinio:* Deus est primus motor immobilis. *epitheta, Deo, ab eodem, tributa. quies Deo adserta. somnus eidem negatus.* VELLEII *leuidense dubium contra* ARISTOTELEM.

MISSIS quinque Academiis x), conuertor ad *Aristotelem*, patrem, deumque magni gregis, quem vel hodie multi sequuntur, principem peripatheticorum, et regem omnium fere antiquorum philosophorum. cuius tot praeclarae exstant, acerrimoque iudicio elaboratissimae, de rebus difficillimis, disputationes, de Deo item, rebusque diuinis, tot egregiae, parumque certe contemnendae opiniones, vt saepissime, quod magis demum accedere ad ipsam rei veritatem possit, nihil inueniatur. Multa praeterea, necque vero vana omnia, sunt, quae de motu, et quiete, de speciebus motus, et proprietatibus, de primo motore, Deo, et, quae his vicina sunt, multa cum acrimonia, et iudicio limatissimo, disputat. Deum illum suum, quem *principium motus, pri-*

constanter statu permanet vt sibimet is ipse contentus sit, hinc sequitur, sibique omnis adquiescat.

x) Academia, et vetus, et media, et noua, quarta etiam, et quinta, in his omnibus, inquam, tam infelix lolium, tamque steriles auenas dominari, non ita quidem putandum est, atque, qui easdem condiderunt, et, qui hos exceperunt docendo, praeter numerum nihil, et, praeter nomen merum, aliquid fuissent. Notus enim est adeo *Arcesilus*, si quis vmquam, ex CICERONE *Academ. quaest. lib. I, 9. 10. 11. 12.* et CARNEADES, ex EODEM, *lib. IIII. 29. 30. 31. seq. Philo* etiam, et *Antiochus*, vel ex hoc nomine, quod CICERONIS praeceptores perindustrii et fideles fuerint, ab eodem ipsi adducuntur, vt multam inde nominum suorum famam, ad eos, qui non adeo remoti ab illorum aetate fuere, celebritatemque, propagasse, certum sit. Nihil tamen, ab his omnibus, dictum, aut cogitatum esse, inuenire potui, quod ad illustrandam quietem Dei potuisset aliqua mihi ex parte inseruire, quippe qui dialecticam potissimum, et doctrinam de sensibus, porro, quod cognosci nihil, nihil percipi, nihil sciri posse, et alia quaedam, exposuere, a doctrina, de Deo, si a quibusdam sententiolis recesseris, remotissimi. Ceterum, vix nomina eorum, cum PLVTARCHVS habeat, LAERTIVS etiam, paucissimis saepius, vitas illorum persequatur, et, qui est in disquirendis, et adducendis antiquorum locis, copiosus interdum, et diligentissimus, STANLEIVS, vix paginam tamen impleuerit aliquantum, dum omnem, cum morte, vitam illorum exponat, in hoc communi auctorum silentio, nolui et ego, intempestiuius forsitan, balbutire, et occasionem dare aliis, qui, quod desiderent, tantum habere, et nil praeterea, possint.

mumque adeo *motorem* adpellitat, ab omni concretionis labe remotum, omni corpore ſeparatum, corruptioni minime obnoxium, infinitum, inuiſibilem, optimum, nullo bonorum ſuorum indigum, *in omnem aeternitatem beatum, et in ſemet ipſo adquieſcentem, prorſusque inmobilem* [z], nobis ſiſtit. praeterea vero, conſeruari quoque, ab eodem, res creatas, neceſſariamque adeo diuinam prouidentiam exiſtimat, cum, ſi Dei conſeruatione deſtituatur, res conſiſtere vlla nullo modo poſſit [a]. Cum igitur varia ſint, quae optime, de quiete Dei, habet, quomodo demum ad eamdem perueniat, et explicet, noſtrum iam eſt, vt videamus. a finitione autem motus incipit, quem, quamuis obſcuriuſcule paullo, per *actum eius, quod eſt potentia, cum actu eſt*, deſcribit, ἡ τοῦ δυνάμει ὄντος ἐντελέχεια, ᾗ τοιοῦτον, κίνησις ἐςιν [b], eumdemque in tribus eſſe praedicamentis, nempe, (ſed, nolite, vos, qui nihil cogitatis, haec legere,) adcretionis, et deminutionis, alterationis, denique localis, docet [c]. *Quies priuatio motus in corpore eſt*, ait [d], *quando, vbi, et quatenus motui eſt aptum.* motum porro nullum dari profitetur, qui in inſtanti, ἐν τῷ νῦν, fiat, et nihil omnino, niſi in tempore, et moueri, et quieſcere [e]. ne tamen progreſſus

z) Deum ἀσώματον dixit, vid. LAERT. *lib. V. ſegm. XXXII. p. 286.* ἀκίνητον, *vid.* IDEM *l. c.* ἀμετάβλητον. vid. ARISTOTEL. *de caelo lib. I. cap. VIIII. p. 348. edit.* CASAVBON. et eod. loc. ἔχοντα ζωὴν καὶ τὴν αὐταρκεςάτην διατελεῖ τὸν ἅπαντα αἰῶνα. habes verbo expreſſam Dei αὐτάρκειαν. quid clarius ergo? θεοῦ δὲ ἐνέργεια, ἀθανασία, τοῦτο δέ ἐςι ζωὴ ἀΐδιος. *de caelo lib. II. cap. III. p. 355.* ἀόρατον, et πάσῃ θνητῇ φύσει ἀθεώρητον, *de Mundo cap. VI p. 471.* ταῦτα χρὴ, haec enim habet *eod. cap. p. 473.* περὶ θεοῦ διανοεῖσθαι, δυνάμει μὲν ὄντος ἰσχυροτάτου, κάλλει δὲ εὐπρεπεςάτου, ζωῇ δὲ ἀθανάτου, ἀρετῇ δὲ κρατίςου· διότι πάσῃ θνητῇ φύσει γενόμενος ἀθεώρητος, ἀπ᾽ αὐτῶν τῶν ἔργων θεωρεῖται.

a) ARISTOTELES *lib. de mundo. c. II. p. 465.* λέγεται, ait, καὶ ἑτέρος κόσμος, ἡ τῶν ὅλων τάξις τε καὶ διακόσμησις, ὑπὸ θεοῦ τε καὶ διὰ θεὸν φυλαττομένη. Sed, ecce! eumdem, et *eodem* quidem *libro, c. V. p. 471.* loquentem! κρεῖττον οὖν ὑπολαβεῖν ὃ καὶ πρέπον ἐςὶ, καὶ θεῷ μάλιςα ἁρμόζον, ὡς ἡ ἐν οὐρανῷ δύναμις ἱδρυμένη, καὶ τοῖς πλεῖςον ἀφεςηκόσιν, ὡς ἑνί γε εἰπεῖν, καὶ σύμπασιν αἴτιος γίνεται σωτηρίας, μᾶλλον, ἢ ὡς διήκουσα καὶ φοιτῶσα ἔνθα μὴ καλὸν μηδὲ εὔσχημον, αὐτουργεῖν τὰ ἐπὶ γῆς· quibus certe verbis, quid magis cum priore loco pugnare poſſit, ego non video.

b) *Phyſicor lib. III. cap. I. p. 272.* c) *Phyſicor. lib. V. cap. II. p. 295.*

d) *l. c.* addit etiam: ἐναντίον γὰρ ἠρεμία κινήσει. *p. 296.*

e) Copioſe contra Democritum, et Heraclitum diſputat *phyſicor. lib. VI. cap. X. p. 311.*

gressus in infinitum esset, ad primum aliquem deueniendum motorem esse putat, qui ipse ab alio nullo moueatur, qui fons sit motus et origo, *quique ita res alias, quae sunt in vniuerso, omnes, moueat, vt ipse tamen semper maneat inmobilis*[f]. Hunc igitur primum rerum omnium motorem, Deum, perfectissima frui vita, contendit, eaque aeterna, et iucundissima, istamque ei consummatam felicitatem plane peculiarem esse, quatenus se ipsum intelligit, et cum infinita delectatione contemplatur. *Sicut enim nos*, pergente ita STANLEIO[h], *exiguae durationis contemplatio beatos reddit, ita Deus in infinita et perfectissima sui contemplatione beatissimus est, vt qui omnium rerum maxime sit admirabilis.* Et haec ipsa quies Dei est, quam Aristoteles demonstrat, quaeque ex eius mente per consummatam felicitatem definitur, quae apud Deum ex intelligentia sui redundat, cum sit infinita etiam, et voluptate, et delectatione, coniuncta, θεὸς εὐδαίμων μὲν ἐστι καὶ μακάριος, δι' οὐθὲν δὲ τῶν ἐξωτερικῶν ἀγαθῶν, ἀλλὰ δι' αὐτὸν αὐτὸς, καὶ τῷ ποιός τις εἶναι τὴν φύσιν[i]. Cum igitur eiusmodi motorem, qui, quamuis sit ipse inmobilis, in tempore tamen infinito omnia mouet, summum numen adpellat, Ionicae sectae parentem, Thaletem, secutus est, a quo eadem fuisse proposita, et expli-

p.311.seq. conf. SEXTVS EMPIRICVS *contra Physicos, lib. X. cap. II. §.45. p.641. edit.* FABRICII.

f) Τὸ πρῶτον κινοῦν ἀκίνητον· scilicet, ex mente ARISTOTELIS, primus motor vniuersum caelum impellit et agitat, *stabilisque manens*, vt cum BOETHIO loquar, *dat cuncta moueri.* Elegantissima sunt, quae CVDWORTH, *de inmobilitate Dei Aristotelei* habet *syst. int. cap. IIII. §. XXI. p. 465.* conf. STANLEIVM *hist. philosoph. P. V. cap. VI. de primo motore* ARISTOTELIS *p. 454* qui hunc motorem, ex mente Stagiritae, et immobilem facit, et vnum, aeternum, indiuisibilem, omnisque qualitatis expertem.

g) vide STANLEIVM *cap. VIII. p. 490.* et conf. ARISTOTELEM *physicor. lib. VII. cap. I. et II. p. 313. 314. seq.* et in primis *libro VIII. cap. VI. p. 329.* circa finem capitis.

h) *l. c. p. 491.* vid. CICERO *disputat. Tusculan. lib. I. cap. 10. p. 279.*

i) Haec ARISTOTELIS verba lege *in libro VII. de republica c. I. p. 256 F.* discimus etiam ex *Metaphysic libro XII. cap. VIIII. p. 564.* remotum eum ab illorum sententia quam longissime fuisse, qui somnum Deo, et indignam quietem tribuunt. verba eius, ex emendatione CASAVBONI, haec sunt: εἴτε γὰρ μηδὲν νοεῖ, ἀλλ' ἔχει ὥσπερ ἂν εἴη ὁ καθεύδων, τί ἂν εἴη τὸ σεμνόν;

plicata, in antecedentibus expoſuimus. *Velleius* tamen, apud CICERONEM, haud contentus cum iſta doctrina, immo toti Ariſtoteli infenſus, dicit: *quomodo ſemper ſe mouens, eſſe quietus et beatus poteſt* [k]*?* Ceterum, tam pure eumdem, atque nos hodie ſentimus, de hac ipſa Dei quiete, ſenſiſſe etiam, neutiquam certe exiſtimandum eſt. cum enim alias etiam inmortales ſubſtantias, aeternas aeque, et inmobiles, huic motori ſuo, primo, inmobili, et perpetuo, ſubiungat, quod poſuit antea, beneque admodum de Deo explicauit, addita hac ſecunda natura aeterna, et inmobili, tollit rurſus, et deſtruit, necque a more antiquorum philoſophorum recedit, de quo ſupra commemoraui, nullum omnino inueniri, quin, quae adſtruxit alio loco, alio rurſus, propoſita re, priori vndique omnino repugnante, auferat, diruatque. en! certiſſimum argumentum, rationis humanae, in rebus diuinis coecutientis, niſi eamdem lux diuina colluſtret!

§. VIII

Cynicorum odium. Stoicorum verba, aurem captantia, re, falſiſſima. placita eorum, de quiete Dei. POSIDONIVS, *et* PANAETIVS *adducti.*

INFAMIOR ſecta, praeter Cynicam, apud veteres, non eſt, de qua tot facta narrantur turpia, vt, homines vtrum, an porci fuerint, dubitari poſſit. Et, quamuis ego vix aliter perſuadere mihi poſſim, quin, cum argute nimis alios riderent, quibus contumeliis inquinantur, calumniae tantum ſint, et mera conuicia,

k) *De natura deor. lib. I. cap. XIII. Ariſtoteles quoque*, haec *Velleius* ait, *in tertio de philoſophia libro, multa turbat a magiſtro Platone vno diſſentiens, modo enim mundum ipſum deum dicit eſſe: modo menti tribuit omnem diuinitatem: modo quemdam etiam praeficit mundo*, cetera, tandem adiicit: *quo porro modo mundus moueri carens corpore, aut, quomodo ſemper ſe mouens eſſe quietus et beatus poteſt?* ſed vidimus iam, requiri ab ARISTOTELE Deum, mouentem quidem cuncta, ipſum tamen, vt eſſe quietus omnino et beatus poſſit, inmobilem omni ex parte, et ſtabilem manentem. hinc ex ingenio aliquantum diſputaſſe Velleium, parumque curaſſe Ariſtotelis dicta arbitror, ſatisque habuiſſe, quem refutare tantum, contra Lucilium Balbum, Stoicum, et Cottam, Stoicam rationem ſimulantem, tamen Academicum, in praeſenti poſſit, vt dixiſſe modo aliquid videatur. quod et hodie in noſtris diſputationibus ſollemne eſt.

cia, a vero tamen non abhorret, durum eorum vitae genus in caussa fuisse, quare, et huius sectae consuetudinem reliqui fugiebant, et nos parum inde de doctrina illorum, si a quibusdam sententiis, ad morum doctrinam pertinentibus, recesseris, quas LAERTIVS nobis[l], et STANLEIVS[m], seruarunt, hodie sciamus[n], Hinc statim ad Stoicorum castra transire, et, si qua habuerint, ad quietem Dei pertinentia, indicare placet. *Zeno*, Cittieus, Cratetis, Cynici, discipulus, dux gregis est, *Cleantis*, *Chrysippi*, *Diogenis*, *Antipatri*, *Posidonii*, *Panaetii*, *Senecae*, *Epicteti*, et multorum ceterum ex ipsis Romanis, nauseantibus tamen, maximam partem, philosophiam, *Tuberonis*, *Catonis*, *Varronis*, ceterorum. Hoc sibi proprium, et prorsus peculiare habet haec philosophia, quae magnificis incedat, et sublimibus sane verbis, bene sonantibus, et quae, si speciem videas, videantur certe tibi esse quantiuis pretii, vt vix cauere nobis possimus, quin eadem, ex nostris potius sententiis, explicemus, eamque significationem, quam, si a Christiano scriptore iis tribuerentur, haberent, et ipsis tribuamus. quod si quis enim, fateor, istam regulam, aut plane ignorat, certe negligit, ad Stoicorum nempe doctrinas horum verborum vim perpendendam esse, profecto ille, saepissime, inter Zenonis doctrinam, et eius adseclarum, interque Christianam cognitionem, parum certe, aut, nihil plane, discriminis inueniet. cuius

l) *In vita* Antisthenis. Diogenis, *Sinopensis*. Monimi. Onesicriti. Cratetis. Menippi. Menedemi. *a p. 316. ad 366.*

m) *Hist. philos. P. VI. integr.* qua de Cynicis philosophis exponit, *a p. 505. ad 541.*

n) Quis enim, quaeso, si, quae dicuntur vulgo, in contemtum Cynicorum, ea et vera essent, sibi persuadere aliquantum posset, EPICTETVM, hominem, virtutis amantissimum, laudem Antistheni, et elogium, *diuini viri*, tribuisse, et Cynismum adeo in honore habuisse? quis LVCIANVM, qui omnes philosophos ridet, immunditiem eorum, credat, et vitia, non perstrinxisse potius, quam doctrinam eorum magnis laudibus ornauisse? IVLIANVS, imperator, cuius in scriptis magnus elucet et sapientiae, et virtutis, amor, nonne honorificentissime, praeclarissimeque de iis sentit? et nonne MAXIMVS TYRIVS, peculiari disputatione scripta, valde hanc sectam adprobauit? quamuis certe, fateor, Cynicos quosdam, qui Diogenem non secuti erant, sordibus variis semet ipsos inquinasse, a vero minime abhorreat, vitium tamen vnius transferre ad integram gentem, periniquum mihi, et absurdum videtur.

cuius quidem erroris, vereor, vt partim CLEMENS, *Alexandrinus*, cum aliis, ſui generis, hominibus, IVSTVS LIPSIVS porro, et, PETR. DAN. HVETIVS, cum maxime obnoxii ſint. Dic enim mihi, ſodes, pulcrius eſſe, aut ſuauius quidnam inplere tuas aures poſſit, his SENECAE verbis: *Deus omnia implet: nobiſcum eſt: coram Deo omnia aperta ſunt:* reliqua? his ipſis verbis ex Scriptura S. deſumta eſſe egregia dicta videntur. ipſe non negabis. at enim vero, quod ſi, non, quem nos, eum et, a Stoicis, Deum creditum fuiſſe, perpenderis, ignem nempe ſubtilem, qui totum mundum permeat et penetrat, cogitabis certe, cum paſtore Virgiliano, miſſosque omnes Stoicos facies his verbis: *ite mei! felix quondam pecus!* οἱ Στωικοὶ, PLVTARCHVS ait[o], *κοινότερον θεὸν ἀποφαίνονται, πῦρ τεχνικὸν ὁδῷ βαδίζον, ἐπὶ γενέσει κόσμου ἐμπεριειληφότος πάντας τοὺς σπερματικοὺς λόγους, καθ᾽ οὓς ἕκαστα καθ᾽ εἱμαρμένην γίνεται.* Quamuis igitur ſint elegantiſſima dicta, quae, de quiete Dei, quam *adquieſcentiam in ſe ipſo* vocant, et *intelligentiam in beatitudine ſumma*, in ſuis ſcriptis habent, quam tamen principii loco ponunt, definitio Dei, quo minus vera haec ſit quies, omnino impedit. SENECA[p], vbi, ſapientem ſibi ſufficere, oſtendit, et ſe ſolo contentum eſſe, beatiſſimeque, ſi vel ab omnibus amicis relictus, in ſolitudine vitam degeret, tamen victurum eſſe, *qualis futura illa vita eſt*, ait, *ſi ſine amicis relinquatur, in cuſtodiam coniectus, vel in aliqua gente aliena deſtitutus, vel in nauigatione longa retentus, aut in deſertum litus eiectus?* QVALIS EST IOVIS, *cum reſoluto mundo, paullisper ceſſante natura*, ADQVIESCIT SIBI, COGITATIONIBVS SVIS TRADITVS. magnificam ſane comparationem, EPICTETO[q] etiam placitam, qui et ipſe, Iouem ſecum eſſe, et agere, *in ſe adquieſcere*, et gubernationem ſuam mente agitare, cogitationibusque frui ſe dignis, profitetur. verba digna ſunt,

o) *De placitis philoſ. lib. I. cap. VII. p. 881. edit. Francof. Wechel.*

p) *Epiſtolar. VIIII. Opp. Tom. II. p. 29. edit.* GRONOV. vbi vide LIPSIVM ad verba: *Iupiter ſibi adquieſcit.* q) qui laudatur propterea a LIPSIO, *manduct. ad Stoic. philoſoph. lib. III. diſſertation. XII. p. 167.*

ſunt, quae adducantur: *ἀλλ' οὐδὲν ἧττον δεῖ καὶ πρὸς τοῦτο παρασκευὴν ἔχειν, τὸ δύνασθαι αὐτὸν ἑαυτῷ ἀρκεῖν, δύνασθαι αὐτὸν ἑαυτῷ συνεῖναι. ὡς ὁ Ζεὺς αὐτὸς ἑαυτῷ συνέσει, καὶ* ΗΣΥΧΑΖΕΙ ΑΦ ΕΑΥΤΟΥ, *καὶ ἐννοιεῖ τὴν διοίκησιν τοῦ ἑαυτοῦ οἷα ἐςί, καὶ ἐν ἐπινοίαις γίνεται πρεπούσαις ἑαυτῷ.* et, alio loco, SENECA[r] profitetur, *huc cogitationes tuae tendant, hoc cura, hoc opta, omnia alia vota Deo remiſſurus, vt contentus ſis temet ipſo, et, ex te naſcentibus bonis.* QVAE POTEST ESSE FELICITAS DEO PROPIOR? accedit, quod in hac ſumma Dei adquieſcentia, nihilo minus prouidum numen, curatorem omnium, facerent, vt enim multa SENECAE loca taceam, quae, ſine cuſtode conſiſtere vniuerſum illud non poſſe, loquuntur, LAERTIVS certe, Deo, ex Stoicorum mente, intelligentiam perfectam in beatitudine, tribuit, et, in adminiſtratione rerum omnium, prouidentiam, *θεὸν δὲ*, ait[s], *εἶναι ζῶον ἀθάνατον, λογικὸν, τέλειον, ἢ νοερὸν ἐν εὐδαιμονίᾳ, κακοῦ παντὸς ἀνεπίδεκτον, προνοητικὸν κόσμου τε καὶ τῶν ἐν κόσμῳ·* Et, miratur LIPSIVS[t], Stoicorum ſomniorum vaferrimus interpres, ridere PLINIVM, in plerisque tamen germanum Stoicum, quod a ſupremo numine cura agi dicatur, rerum humanarum, cum adeo triſti tamen atque multiplici miniſterio vehementer pollueretur, eiusque tranquillitas, et quies, omni ex parte turbaretur, *quid enim cenſes*, dicit, *humano more Deum agere et curare, ſollicitum, diſtrictum, diſtractum, iratum? erras, ille cum ſumma quiete, et placide agitans, omnia agit.* Stoicorum igitur, vt verbo omnia comprehendam, adquieſcentia Dei in ſe ipſo, ad verbum, bene ſe habet, re autem intellecta, eodem puto numero habendam eſſe, quo motus habetur, rotae, celerrimus, quo enim tandem modo igni ſubtili, adquieſcentia in ſe, et aeterna tribui beatitas poſſit, parum

r) *Epiſtolar. XX. p. m. 75.* conf. *epiſt. XCII. p. 425.* vbi haec habet, *quid eſt beata vita? perpetua tranquillitas.* et paullo poſt: *talis animus ſapientis eſſe viri debet, qualis Deum deceat. ſi non es ſola honeſtate contentus, neceſſe eſt, aut quietem adiici velis, quam heſychiam vocant Graeci, aut voluptatem.*

s) *In vita Zenonis lib. VII. ſegm. 147. p. 458. edit.* MEIBOMII.

t) *In phyſiologia Stoicorum, lib. I. diſſert. XI. p. 27. ed. Antwerp.*

rum ego video, et ad ſanos, exiſtimo, abire propinquos tutelam debere, quod ſi quis cum LIPSIO [u], *ab alia ſecta nulla, maieſtatem, et prouidentiam Dei magis adſertam eſſe, aliaque a nulla homines ad aeterna, quam ab ipſa Stoicorum ſecta, adtractos eſſe*, ſerio contendat. Erga diuinas res, quo modo adfecti reliqui Stoici fuerint, cum diſerte quidem nuſpiam exponatur, coniici tamen, probabili admodum ratione, poteſt, inepta illos, et ridicula, de natura Dei, minime finxiſſe, in primis, cum ex diſcipulis, quos *Poſidonius* et *Panaetius* habuere, *Pompeium*, magnum, puto, et *Ciceronem*, quid bona inſtitutio poſſit, abunde pateat. *certe, in equis, patrum virtus eſt, nec imbellem feroces progenerant aquilae columbam!* et haec de ſecta Ionica!

§. VIIII

PYTHAGORAE *laus.* IAMBLICHVS, *et,* PORPHYRIVS *reprehenſi.* PYTHAGORAE, LEVCIPPI, DEMOCRITI, SCEPTICORVM, *de quiete Dei, opiniones.*

IAM, ad eas, age, progrediamur, quae a *Pythagora* ortum cepere. qui, quamuis barbarus genere, vltra Graecorum tamen ſapientiam euectus, et in rerum in primis diuinarum cognitione verſatiſſimus, quem natura negabat viſibus humanis, Deum, oculis eumdem pectoris hauriebat. Dolendum eſt, ad vnum omnia Pythagoraeorum ſcripta periiſſe, nihilque plane, vnde hauriri penitus tanti viri cognitio poſſit, aetatem noſtram tuliſſe. LAERTIVS quidem, PORPHYRIVS etiam, atque IAMBLICHVS, noſtri vitam ſatis copioſe admodum deſcripſerunt, ſed, vt taceam, nimis eos eſſe recentiores, quam, quibus fides ſit, omnibus in rebus, iisdemque antiquiſſimis, habenda, eo, conſtat inter omnes, acceſſiſſe, ſed hos duumuiros potiſſimum, animo, vt lectores figmentis

u) *De conſtantia lib. I. cap. XVIII.* et *Miſcellan. epiſt. centur. I, epiſt. XXXIII.* ſcire ſe, ait, *non alios e priſcis magis conſentire cum Chriſtiana pietate, quam eos, qui a Stoica domo.* Immo vero, ante eum, HIERONYMVS *ad Eſaiae cap. XXXX. Stoicos noſtro dogmati in plerisque concordare*, concedit. rectius ſentit, philoſophiae veteris, et ſcholaſticae, ſed cum iudicio limato, peritiſſimus olim, IACOB. THOMASIVS, *in exuſtione mundi ſtoica*, libro elegantiſſimo.

mentis variis deciperent, iisque mendacia, veritatum loco, obtruderent. cum enim ea aetate viuerent, qua, religione Christiana latius vndique progrediente, ſuperſtitioni interitum omnia minabantur, quamuis docti, ſuperſtitionibus tamen et ipſi deditiſſimi philoſophi, inter quos PHILOSTRATVS, EVNAPIVS, cum PORPHYRIO, et IAMBLICHO, locum ſibi principem poſcunt, Domini noſtri, eiusque diſcipulorum, miracula, philoſophis, a vera religione alienis, tribuebant, CHRISToque obponebant, quae in cauſſa res eſt, vt ex hiſtoria IESV petita, multa ſane inueneris, quae et huic Pythagorae adſcribuntur. ipſe LVDOLPHVS KVSTERVS, plus vna vice, haec fatetur, et de nouo, loco, ſtatim a me adducendo, iterare cogitur [x]. Scilicet, internam perpetuo, in dictis omnibus, factisque, Domini noſtri, quietem, et tranquillitatem, comparuiſſe, in ore adhuc omnium verſabatur. arripuit haecce, vt canis e Nilo aquam, IAMBLICHVS, et, cum de natiuitate Pythagorae, eiusque, in vniuerſum, virtutibus, religione, doctrina, ceteris, loquutus eſſet, haec adiicit ſimul [z]: ὧν τε ἐλάλει, ἢ ἔπραττεν εὐδίᾳ καὶ ἀμιμήτῳ τινὶ γαλήνῃ, μήτε ὀργῇ ποτε, μήτε γέλωτι, μήτε ζήλῳ, μήτε φιλονεικίᾳ, μήτε ἄλλῃ ταραχῇ ἢ προπετείᾳ ἁλισκόμενος· iſtamque omnino quietem, inter diuinas proprietates, a IAMBLICHO, ex mente Pythagorae,

x) Nempe ad IAMBLICHI *cap. II num. XI. p. 7.* quem, dicit, *Ethnicae religionis antiſtitem, ſuo tempore primarium, Chriſto Pythagoram voluiſſe obponere.* ſed teſtimonio editoris opus non eſt. patet hoc ex ipſo auctore, nam *cap. VI. num. XXX. p. 23.* ab Acuſmaticis, dicit, in homacoio congregatis, et, ab incolis tractus Italiae, qui Magna Graecia inde vocatur, relatum fuiſſe Pythagoram in deorum Olympicorum numerum, qui εἰς ὠφέλειαν καὶ ἐπανόρθωσιν τοῦ θνητοῦ βίου, ἐν ἀνθρωπίνῃ μορφῇ adpareat. et *cap. XVIIII. num. XCII. p. 78.* vbi, poſtquam Abaris, Scytha, Apollinis apud Hyperboreos ſacerdos, telo admodum miraculoſo, e templo dei, deſumto, Pythagoram, ipſum Apollinem eſſe ratus, in Italia acceſſerat, telumque eidem illud conceſſerat, dicit IAMBLICHVS, ſtatim huic ſacerdoti, a Pythagora, aureum ſuum femur oſtenſum eſſe, fidemque factam, ſe eſſe etiam, quem putabat, Apollinem, terrasque ſubiiſſe propterea, vt mortalium genus, per foedidum nefas ruens, emendare poſſit, ὅτι ἐπὶ θεραπείᾳ, haec enim adiicit, καὶ εὐεργεσίᾳ τῶν ἀνθρώπων ἥκοι, καὶ διὰ τοῦτο ἀνθρωπόμορφος, ἵνα μὴ ξενιζόμενοι πρὸς τὸ ὑπερέχον ταράσσωνται, καὶ τὴν παρ' αὐτοῦ μάθησιν ἀποφεύγωσιν. Idem hoc, ex PORPHYRIO, et clarius interdum, eluceſcit.

z) *De vita Pythagorae cap. II. num. XI. pag. 7. edit.* KVSTERI Amſtelod. 1707.

rae, relatam fuiſſe, haec indicant, *ὡς δὲ δαίμων τις ἀγαθὸς ἐπιδημῶν τῇ Σάμῳ*, quae verba ita explicanda ſunt: *ita, quiete, tamquam Deus, Sami degebat.* Quae dixi, ea magis adhuc, confirmantur, eſſe a mente Pythagorae non aliena, quando, cum eiusdem, ad virtutes excolendas, inſtitutio commemoratur, et, ad ſimilitudinem Dei contendendam, perſuaſio, fieri illud nullo vmquam modo poſſe, niſi ab his, adiicitur, qui animum quietum et tranquillum habeant, *καὶ διόλου*, ita pergit *Chalcidenſis* [a], *τῆς ἐπιτηδειοτάτης πρὸς τοὺς θεοὺς, ὁμιλίας ὕπαρ τε καὶ κατὰ τοὺς ὕπνους αἰτιώτατος τοῖς περὶ αὐτόν· ὅπερ οὔτε ὑπὸ ὀργῆς τιθολωμένη περιγίνεταί ποτε ψυχῇ, οὔτε ὑπὸ λύπης, οὔτε ὑπὸ ἡδονῆς, οὔτε τινὸς ἄλλης αἰσχρᾶς ἐπιθυμίας παρηλλαγμένη μὰ Δία.* cetera. quibus verbis, ſi ad ſimilitudinem Dei, qui quieto ſtatu, et tranquillo viuunt, accedunt, *Deum et ipſum in ſumma quiete viuere*, conficitur. Patet hinc, quietem Dei eſſe, a Pythagora, modo IAMBLICHO fides habenda ſit, agnitam. Et, ecce! quo alio modo, quietem fuiſſe, Deo, a Pythagora, tributam, demonſtrem! MACROBIVS [b] auctor eſt, Deum, monadis nomine, et vnitatis, a Pythagora, adpellari, quoniam principium eſt, et finis rerum omnium, cum contra ea, necque principium ipſe habeat, necque vero finem vmquam habiturus ſit. at enim vero, quomodo, quaeſo, vnitatem philoſophus Italicus definit? vnitas, ait, quantitas eſt, quae, decreſcente multitudine, omni numero priuata, quietem ac ſtatum accipit. ſi igitur Deus, monas eſt, quis non videt, et quietem huic, ex mente Pythagorae, vt refert ipſe STOBAEVS [c], adſcribi debere? Vlterius progredior. nempe, notiſſima ſunt, in peregrinas regiones, Pythagorae itinera, quibus ex doctiſſimorum hominum conſuetudine multa didicit. a Chaldaeis igitur, quam ſupra adduxi, eam et ipſam adeptus eſt philoſophus opinionem, fouitque, ſi quis vmquam, egregie. ſcilicet, et PROCLO [d] teſte, et SIMPLI-

PLI-

a) *Libro citato cap. XVI. num. LXX. p. 57. 58.*
b) *In ſomnio Scipionis lib. I. cap. VI p. m. 40. ed. Gryphianae.*
c *In eclog. phyſic. cap. II.* conf. STANLEI. *hiſt. philoſ. P. VIII.* et diſciplinae Pythagorae *P. II. ſect. I. cap. V. p. 721.* d) *Comment. in Platonis Timaeum lib. IIII*

PLICIO [e], monas ista, seu vnitas, quem Deum dixit, dicta et *turris Iouis*, et *custodia Iouis*, et *tronus Iouis*, propterea est, *quoniam magnam potentiam indicat, quam centrum in vniuersum exercet, quippe qua possit motum circularem totius moderari, quasi custodia creatoris rerum omnium posita in eo esset.* quo igitur iure, ego quietem Dei, ex centro isto, a Chaldaeis, Aegyptiisque, cognitam fuisse, ante demonstraui, eo et hic vsus, Pythagorae eamdem adscribere praestabit. Ceterum, hanc, ex LACTANTIO, et IVSTINO, descriptionem Dei, STANLEIVS adfert [f]: *vnus est Deus, ipse in se totus, in circulo toto omnes inspiciens generationes, parens omnium, et circulorum omnium motio.* et, ex TIMAEO LOCRO [g], *Deus omnia alia in se ipso complectitur, hinc beatus est, hinc proponit sibi non quaedam exemplaria, tantum, sed illam ideam, intelligibilemque essentiam omnem, ad quam videlicet res ipsae exquisita ratione effectae fuerunt.* quibus quidem verbis, nihil profecto est, quod magis accedere ad definitionem quietis diuinae possit. Tandem vero, illud monendum a me esse, existimo, quoniam, id, quod ex symbolis illis notissimis patet, nimium occultauerit doctrinam suam Pythagoras, porro etiam, quoniam necque ipse, necque, ex suis, quisquam, litteris aliquid consignauerit, quod aetatem tulit, nisi tu plane, viua voce omnes adquieuisse, putaueris, quam obscura tandem haec philosophia sit, et quam incerta maxime, rem ipsam loqui [h], vt adeo, quid vlterius demum a me addendum sit, vix inueniatur. pergo igitur ad Epicurum.

e) *In comment. ad Aristotelis lib. II. de caelo.*
f) *P. VIII.* doctrinae Pythagor. *P. III. sect. III. cap. I. p. 763.*
g) *De anima mundi et natura part. VIII. p. 802.*
h) PETRVS BAELIVS, magnum sane illud, et aeternum nomen, Eleaticae sectae proprium hoc fuisse, vt diuinam vim, et naturam, sublatum prorsus iuerint, ex EVSEBIO, et aliis, satis demonstrat. *dictionar. histor. et critic.* v. Xenophanes. *p. 3034. Leucippus*, et *Democritus*, ingeniosissimi homines, qui atomos angulares, rectas, rotundas, laeues, asperas, hamulatas, curuatas, aduncas, et quid non? primi in philosophorum scholis innexere, in infinito inani, et prorsus vacuo, motu, absque initio et fine, agitari perpetuo, prima corpuscula, statuerunt. Figura non esse, aut magnitudine destituta, haec simplicia, sed, vt dixi, ex parte angularia, aut rotunda, aut laeuia, aut aspera, aut hamulata, aut curuata, aut adunca. fatoque, id est, percussione materiae, et resistentia, omnia oriri. Quam huic Democrito tribuit CICERO *de nat.*

§. X

Laus EPICVRI. *nexus systematis eiusdem. opinio eius de quiete, otio, et lassidia deorum. quare quietem diis tribuerit? refutatio breuis argumentorum praecipuorum* EPICVRI.

IAM, age, igitur, catus ille accedat, et retorritus homo, *Epicurus.* res hoc loco egregias, lectores amici, audietis. scit hic, quid in aurem rex reginae dixerit. scit hic, quid Iuno fabulata sit cum Ioue! Sed, vt serio loquar, fuit Epicurus, homo bonus, temperans,

nat. deor. lib. I. c. 43. de natura Dei sententiam, non male, patria esse Democriti, quam Democrito, digniorem iudicat, cum et in primis Abderitas, in stuporis, insaniaeque fabulam delapsos, prouerbio, trito sermone, quo Abderitica mens, pro stulta, et furore acta dicitur, dedisse locum, obseruet ERASMVS, *adagior. p. 300. edit.* IAC. CHOVET, aliis consentientibus plurimis. De duumuiris illis, LACTANTIVS *diuinar. instit. lib. I. cap. 2.* docet, eos statuisse, Deum quiescere, hoc est, in otio perpetuo viuere, res humanas penitus negligere, nihilque prorsus habere cum hoc mundo negotii, immo vero addit, illos esse, (quamuis potissimum de Democrito loquatur, idem tamen, et de Leucippo dici posse, constat,) erroris, prouidentiam negantis, auctores, confirmatorem autem esse Epicurum. Et, PLVTARCHVS *de placit. philos. lib. I. cap. 25* πάντα κατ᾽ ἀνάγκην illum nostrum, Parmenidemque fieri dixit, τὴν ἀυτὴν δὲ εἶναι καὶ εἱμαρμένην, καὶ δίκην, καὶ πρόνοιαν, καὶ κοσμοποιόν. Ceterum, cum sint, et hi duo, ex illorum numero scriptorum, quorum opera Libitinam minime effugerunt, eorumdemque placita aliena fide constant, ex multis, et discrepantibus inter se, scriptoribus, colligenda, vt, quae dicta a me sunt, praeter ea, nihil admodum plura sciamus, hinc factum est. *Sceptici* porro, omnem, de diis, quaestionem in dubio versari, neeque, sapientiam, dici, rerum diuinarum humanarumque scientiam, posse, profitebantur, partim, cum varia et multiplex philosophorum adfirmatio, et dissensus, totum verum ab illis ignorari, satis ostendat, quum quidem multi modi esse diuinae notionis possint, qui verus autem ex iisdem sit, neutiquam comprehendi queat. partim, cum quattuor ista argumenta, quae, Deum esse, ab acutissimis hominibus producerentur, refutari satis possint. sunt autem haec: ordo et conformatio mundi. consensus omnium hominum. absurda, quae eos, qui Deum tollunt, consequuntur. et, tandem, istorum argumentorum confutatio, quae in contrariam partem obiiciuntur. ex quibus omnibus non magis, esse, quam, non esse, deos, per parem, rationum sibi aduersantium, vim, euinceretur. eo enim omnis Scepticorum doctrina constat, vt possis, quae sensus nos docent, iis obponere illa, quae intellectus capit, nullamque rem, propterea, necque adfirmare, necque negare, vt *indifferentiam, perpetuamque animi quietem* nanciscamur, τὴν ἐν τοῖς κατὰ δόξαν ἀταραξίαν, καὶ ἐν τοῖς κατηναγκασμένοις μετριοπάθειαν. Quaecumque igitur de Pyrrhonis, Timonis, et, si qui alii sunt, quibus, siue Aporeticis, siue Scepticis, Ephecticis, siue Zeteticis, nomen, tribuit antiquitas, genusque philosophandi, quaecumque, inquam, de iis dici possent, quoniam e SEXTO EMPIRICO, Pyrrhoniorum placita cognosci optime possunt, lubens praetereo, in primis, cum

rans, tranquillus, eruditus, ingeniosus, sollertissimus, in disciplinis, et morum, et naturae, versatissimus, qui gloriam reliquorum philosophorum, per famam nominis sui, valde imminuit. philosophiam, hic, mentis medicamenta, propterea, dixit, quia, vt animi quies eadem comparetur et conseruetur, eius vnicus finis sit. Et, quamuis grauiter admodum, fateor, in cognitione, et meditatione, de natura divina, errauerit, qui tamen, mox, prorsus negasse eumdem, mox, semet ipsum Deum constituisse, omni destituti fundamento, adserunt, iniuriam ipsi non modo grauissimam inferunt, sed et stuporem suum, et haud vulgarem ignorantiam aperte profitentur. negatum sane, ab eodem, supremum aliquod numen fuisse, adfirmare ego non audeo, cum, et esse deos, et ipsam adeo naturam, innatasque hominibus praenotiones, eius nosmet rei reddere certissimos, distincte eloquatur. ex eorum tamen hominum numero est, qui, cum Deum dicant naturam esse omnium perfectissimam, in quo minime illi quidem errant, in hac tamen finitione, cum eiusmodi rem adferant, quae Dei loco esse numquam potest, tamquam latebra aliqua, occultam esse impietatem volunt, ita et hic de Deo ita loquitur, vt plane tolli, ab eodem, e mundo, Deum, facillime intelligatur. nam, Menoeceo suo, apud LAERTIVM[i], describit summum numen, *ζῶον ἄφθαρτον, καὶ μακάριον, ὡς ἡ κοινὴ τοῦ θεοῦ νόησις ὑπεγράφη·* Μηθὲν *μήτε τῆς ἀφθαρσίας ἀλλότριον*, pergit ille, *μήτε τῆς μακαριότητος ἀνοίκειον αὐτῷ πρόσαπτε*. talem igitur Deum producit, cuius natura, e corporearum genere sit, forma, humanae similis, et, vita demum, beatissima, et quietissima. Nempe, hic nexus est Epicurei systematis: quaecumque oculis videmus, corporea sunt, sed, praeter ista corpora, spacium relictum est vacuum, quoniam cedere alioquin corpori corpus, seque omnino mouere, non posset. vniuersum magnitudinis infinitae est, et locus non est, quem superiorem dice-

vix inueniri quidpiam poterit, quod, ex instituto, de quiete Dei, sit, ab iisdem, propositum, quam tamen, si habuerunt, opinionem, parum certe, ab Epicurea illa sententia, absuisse, probabile est. confer omnium maxime, SEXTVM EMPIRICVM aduers. *Physicos. lib. VIIII. c. 2. p. 551. et 565. et pyrrhon. hypotypos. lib. I, c. 12. §. 25. p. 8. edit.* IO. ALB. FABRICII.

i) *In vita Epicuri. lib. X. segm. CXXIII. p. 655.*

dicere, aut medium, aut inferiorem potes. iam, ex nihilo autem, fieri et ipsum nihil cum possit, dissolui tamen nihilo minus, et discerni corpora, a se inuicem, semperque minui, cum queant, exorta eadem esse, hinc sequitur, ex corpusculis, et minutissimis particulis, necesse est. Hae atomi sunt, diuidique in partes nequeunt, magnitudinem tamen puncti excedunt, diuersa figura sunt instructae, vi, se mouendi, minime destituuntur, et, quia deorsum nituntur semper, grauitate etiam gaudent. hae porro, in vacuo isto spacio, ab aeterno, et pari quidem omnes celeritate, se mouerunt, donec, inter se collisae, aut retro rursus siluerint, aut in loco suo permanserint. non autem in linea recta, id quod Democritus iam docuerat, sed, quae a recta, paullo in aliam aliamque plagam progreditur, in ea atomi se mouerunt, et, cum diuersae figurae atomis illis fuerint, vna etiam, prae alia, facilius adhaerere potest. ex hamatis, et angulis incisis atomis, terra coaluit, ex laeuibus autem, quoniam hae, per collisionem suam, resilientes, altum semper petiere, caelum confectum est. Nunc magis in rem nostram accedo. Scilicet, Deum statuere, dicebat, vniuersum hoc qui creauisset, aut, qui prouidentia, mundum, et gubernatione regeret, cum atomorum motu potius oriri quaeuis possent, reque ipsa etiam, quaecunque efficiuntur in hoc vniuerso, ea et omnia fierent, hinc opus omnino non esse. At enim vero, quamuis sane a Deo productum mundum esse, dici nequeat, esse tamen deos ex subtilissimis quibusdam atomis olim coagmentatos, qui in vacuo spacio, (intermundia vocat Epicurus,) tamquam in spelunca draco, et tamquam mures in angulis, tenellis suis, pellucidisque corporibus lateant, corporibus, inquam, sui generis, et quasicorporibus, quae sensu minime, sed mente cernantur, cum nec soliditate quadam ad numerum, sed imaginibus sint, et similitudine, comparata, quos deos, Balbus, Stoicus, apud CICERONEM[k], monogrammos, per iocum, adpellat, cum certe, rem incorpoream statui Deum non posse, perhibeat, quoniam sensu careret alias, et prudentia,

k) De natura deor. lib. II. cap. XXIII. p. 531. quae verens Epicurus monogrammos deos, et nihil agentes, commentus est.

dentia, voluptate etiam, beatitate, et quiete, necesse prorsus sit, nec, quinam esse queat, intelligi possit. Quietem diis potius esse perpetuam, eosdemque maxima semper felicitate frui, spectare se, quae in mundo accidunt, omnia, curare autem nihil, necque esse ipsis quidquam cum hoc mundo negotii, non amare, non metuere, non ira, non gratia tangi, sic enim quies turbaretur. quis enim decantatior locus esse poterit, prima illa ex ratis sententiis, quam LAERTIVS [l] habet? *τὸ μακάριον*, ait, *καὶ ἄφθαρτον, οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει, οὔτε ἄλλῳ παρέχει, ὥς τε οὔτε ὀργαῖς, οὔτε χάρισι συνέχεται· ἐν ἀσθενεῖ γὰρ πᾶν τὸ τοιοῦτον·* siue, vt AVSONIVS expressit: *quod est beatum, morte et aeternum carens, nec sibi parit negotium, nec alteri.* et, sicut ENNIVS habet: *ego deum genus esse semper dixi, et dicam caelitum, sed eos non curare opinor, quid agat humanum genus.* Nonne ORIGENES [m] de Epicuro iudicat hoc modo? *ἔξω γάρ τι τοῦ κόσμου οἰκητήριον τοῦ θεοῦ ἔθετο εἶναι λεγόμενον τὰ μετακόσμια, ἥδεσθαί τε, καὶ* ΗΣΥΧΑΖΕΙΝ ΕΝ ΤΕ ΑΚΡΟΤΑΤΗ ΕΥΦΡΟΣΥΝΗ *καὶ μήτε αὐτὸν πράγματα ἔχειν, μήτε ἄλλοις παρέχειν.* et, CICERO [n], nonne Velleium, fidenter admodum, tamquam modo ex deorum concilio, et, ex istis Epicuri intermundiis descendisset, loquentem inducit, qui, modo dicta, a me, et explicata quae sunt, satis confirmat? locus egregius est, et, quamuis longior, tamen adducendus. *quarere soletis, quae vita deorum sit, quaeque ab iis degatur aetas? ea videlicet, qua nihil beatius, nihil omnibus bonis adfluentius cogitari potest. nihil enim agit, nullis occupationibus est implicatus, nulla opera molitur, sua sapientia et virtute gaudet, habet exploratum, fore se semper cum in maximis, tum in aeternis voluptatibus. hunc deum rite beatum dixerimus, vestrum vero laboriosissimum.* et, paullo post: NISI QVIETVM AVTEM, NIHIL BEATVM EST, *siue in ipso mundo*

l) *Libr. X. segm. CXXXVIIII. p. 661.* conf. in primis AEG. MENAGIVS *in h. l.*
m) *Philosophumen. cap. XXII. p. 151. edit.* IO. CHRISTOPH. WOLFII.
n) *De nat. deor. lib. I. cap. XVIIII. p. 485.*

mundo deus ineſt aliquis, qui regat, qui gubernet, qui curſus aſtrorum conſeruet, cetera, *nae ille eſt inplicatus moleſtis negotiis et operoſis. nos autem beatam vitam in ſecuritate, et in omnium vacatione munerum ponimus.* Haec igitur, et plura alia, quae propter teſtimoniorum, ſcriptorumque, multitudinem, ne proferre quidem placet, quietem, Deo, ab Epicuro, adſcriptam eſſe, ſatisque etiam, quamnam tandem, cum hac voce, coniunxerit notionem, demonſtrant. Quietem certe Deo, ſi dicam, quod res eſt, Epicurus propterea adſeruit, omnemque, cum diuina felicitate, et inmortalitate, pugnare prouidentiam, fatidicam illam Stoicorum πρόνοιαν, putauit, quoniam intellectum diuinum modulo humano menſus, ipſum non poſſe non, tanta hac multitudine, rerumque, quas in mundo obſeruamus, diuerſitate, obrui, ſi cogitandum de ſingulis, per ſucceſſionem, et, ſi prouidendum fuerit ſingulis, perſuaſus fuit. pie potius ſibi, beneque agere viſus eſt, quando, quod fecit etiam poſtea PLINIVS, immo vero etiam, diuus ipſe HIERONYMVS, ſed quantus vir? quaque quaeſo auctoritate conſtitutus? ea diis minime tribuere voluerit, quae *indigna iisdem, eorumque pacis*, vt loquitur LVCRETIVS [p], *aliena*, videri poſſent.

> *Nam, (pro! ſancta deum tranquilla pectora pace,*
> *Quae placidum degunt aeuum, vitamque ſerenam,)*
> *Quis regere inmenſi ſummam?*

ita enim LVCRETIVS, fieri non poſſe, pergit, vt aliqua natura adeo potens ſit, quae his praeſtandis ſufficere valeat, quae ita exaggerat vlterius:

> *Quis habere profundi*
> *Indu-manu validas potis eſt moderanter habenas?*
> *Quis pariter caelos omneis conuertere? et omneis*
> *Ignibus aetheriis terras ſuffire feraceis?*

Omnibus

o) *Hiſtor. natural. lib. II. cap. VII. num vero, agere curam rerum humanarum, ait, illud, quidquid eſt ſummum, anne tam triſti, atque multiplici miniſterio non pollui credamus, dubitemusue?* alii aliter legunt, quorum ſententias vide apud Celeb. IO. MATTH. GESNERVM *in chreſtom. Plinian. p. 38.*

p) *De rerum natura lib. II. verſ. 1092.* conf. DIONYS. LAMBINVS *ad h. l. p. 450. ſeq. edit.* SIGEB. HAVERCAMPI.

Omnibus inque locis esse omni tempore praesto,
Nubibus, vt tenebras faciat, caelique serena
Concutiat sonitu? tum fulmina mittat, et aedeis
Saepe suas disturbet? et in diuersa recedens
Saeuiat, exercens telum, quod saepe nocenteis
Praeterit, examinatque indignos?

et haec prima Epicuri ratio fuit, quare, cum ista quiete Dei, omnem omnino e medio prouidentiam sustulerit. Deinde, omnia in mundo perinde ipsi videbantur contingere, atque si nulla prorsus prouidentia sit, multa fieri casu, euenire multa praeter naturae ordinem, deprehendebat, et, quae tandem constanter fieri, ordinateque viderentur, ea vero omnia ita tamen reuocari ad suas caussas posse, existimabat, vt ad prouidentiam Dei, curamque eius, rerum humanarum, recurrere, nihil propterea necesse foret. mentem enim statim adquiescere ex perspectis caussis, necque vero aliam, eamdemque diuinam adeo subesse suspicando, felicitatem interturbare suam, profitebatur. Fulmen hinc in primis vsurpabat, quodque dum potissimum, effectuumque eius caussas, explicaret, Deo disponente nihil omnino peragi, ex multis argumentabatur. quare enim, quaeso, dicebat, nocentes fulmen praeterit, et corripit insontes? quare loca sacra fulmen plerumque petit? quare in loca deserta, in maria, in montes, inutili prorsus et irrito conatu, iacitur? nonne haec omnia, et quiescere Deum, et in otio viuere, curamque rerum humanarum nullam habere, aperte loquuntur? Decipit sane, fateor, obiectionis huius frons prima, multos, rara mens intelligit, quae sunt interiore angulo recondita. Breuissimis nos, age, contra Epicurum dicamus, et, haec duo argumenta, quantum id fieri potest, dissoluamus. Eam putat naturae beatae conditionem esse, vt rerum curam agere non possit, quin, negotiis variis implicita, perturbaretur, pristinamque suam felicitatem, et quietem, amitteret. Concederem, fateor, et vltro largirer, si Epicurus esset Deus eiusmodi, hoc est, si hominis adtributa conferri Deo possent. hoc principium, hic fons erroris est. quamquam enim, ipso adeo fatente, diuinam

naturam, praestantissimam esse, doceat, quam sublimitate sua, et eminentia infinitis interuallis superare vires nostras, certum sit, humanae tamen eam haud dissimilem, vbi eamdem vidimus paullo ante, ab eodem repraesentari, facultate etiam humana, non potest non aliter fieri, quam qui eamdem metiatur. Et verum est, homo misellus, qui multis semet rebus inmiscens, laboris multum sustinet, multum sudoris, anxietatis, molestiae, hunc, dum adgreditur rem aliquam, dum eam promouet, eidem instat, eam vrget, exsequitur, denique perficit, quis non videt, cura eius rei distringi, perturbari saepius, saepius pollui multis ministeriis, verbo, absque tranquillitate viuere? Non autem Dei inmensitas limitari, eiusque potentia caelo tantum includi potest. nonne enim praesens est rebus omnibus, per ipsam adeo, quam minime eidem denegat, perfectionem, Epicurus? et, nonne ita absque vllo negotio, absque vlla cura, labore, et intelligere omnia, et prouidere omnibus potest? Agnouit praestantissimam Dei naturam Epicurus, Deumque satis intelligi haud posse, cui deficiat quaedam perfectio, palam professus est. Ceterum, prouidere mundo, rerumque naturae consulere, nonne summam perfectionem spirat? quis quaeso hanc inperfectionem forsitan existimauerit? nonne enim, vt quisque est imperio dignior, eo magis etiam est perfectior? At, ista, in se quidem, perfectio, naturae diuinae repugnat, quae, cum sit felicissima, quis negotiosam eam, curisque multis inquinatam fecerit? at, quidni liceat naturam quamdam fingere, cuius, cum summa felicitate, et beatitate, negotiorum cura constare possit? ego quidem existimauerim, quae absque felicitatis intertrimento potest curam rerum omnium gerere, eam naturam longe esse praestantiorem, perfectioremque, illa, id quae minime potest. Et haec est ista vis diuinae naturae, quae cum sit beatissima, et prouidentissima esse simul potest. Scilicet, Deum sine sapientia, potentia, bonitateque intelligere qui possumus? si Deus sapiens est, intelligit etiam, et si intelligit, modum etiam, quo administrari et possint, et debeant res, non ignorat, sed non tantum contemplatur ea, quae intelligit, sed re ipsa administrat, cum alioquin

quin cogitari, natura, quae vtriuſque ſimul intelligentiae capax foret, perfectior poſſet. Sapientia in rerum adminiſtratione eluceſcit. ſi otioſum Deum, nihil agentem, nihil curantem concipis, nonne ſapientiam ab eo tollis? Cuius nihil effugit potentiam, potentiae finem nactus eſt. anne vero, qui nihil agit, is, aut, manifeſtare excellentem virtutem poteſt, aut, cum intermittit multa, anne imbecillitatis ſuſpicionem effugere poterit? Bene conſulit aliis bonitas. niſi conſuleret re ipſa, cum ſcientiſſimus eſt, et potentiſſimus, Deus, nonne liuore tabens cenſeri poſſet? Manet igitur hoc, nihil magis ſublimitati, maieſtatique diuinae, hac ipſa rerum prouidentia, conuenire vllo modo poſſe. Obiectio ſecunda haec erat: multa caſu fieri, multa praeter naturae ordinem, et fato. eleganter profecto! nihil bellius! atque vero id non, intuitu noſtri ſolum, fieret, et, non, intuitu alius cauſſae. Non vulgaris haec temeritas eſt, noſtram tanti facere perſpicientiam, vt, quando adiunctorum quorumdam ſeriem haud penitus perſpicere, et, qua demum ratione haec facta fuerunt, cognoſcere poſſumus, ſtatim inde, non adeſſe cauſſam quampiam ſuperiorem, cuius nos lateant conſilia, quare res ita conſtituerit, colligere velimus. Heus tu, quicumque ita bene loqueris, ſcisne, quaeſo, ſagaciſſime mortalium, principis conſilia, quae cum amicis ſuis interius agitare ſolet? negabis ſine dubio ſciri ea a te poſſe, et vera loqueris. ergo caſu, rogo te, in re publica omnia eueniunt? ergo praeter ordinem fiunt? In mundo igitur, vbi multa ad ordinem, Epicuro teſte, eueniunt, quoniam tibi incognita eſt, quare demum ita accidat, ratio, non adeſſe principem et rectorem, a cuius nutu omnia dependent, quare euincere conaris? Fulmen vſurpas potiſſimum, quo omnia, nihil omnino diſponente Deo, peragi, rationes colligis. ſed caue tibi a rationum fulmine! Cauſſas fulminis, largior, in naturalium ſerie comprehendi, quas permittit Deus ire et redire ſuas vias, vicesque, quibusque, vt naturae inuertatur ordo, nullam violentiam infert. at, quare inſontes ferit fulmen? praeterit autem nocentes? dicas Deo diem, amiciſſime homo, ſi tibi non perſpectus finis iſte eſt, non eſt ille tamen nullus cenſendus.

quae in diuinae ſapientiae arcanis conduntur, temeritas eſt, ea noſſe omnia velle. audi, et abi. At, quare res ſacras ferit? quare loca deſerta diſcutit? reſpondeo, quare inter naturae effectus locum fulmen tenet? quare tandem prorumpit, quocumque verſus contingat? et quare tandem bis duo quattuor ſunt? Sunt haec Epicurea dogmata, de quiete Dei, ſiue, otio potius deorum, quae, vt potui, ductu, in primis, philoſophi et mathematici celeberrimi, et, inmortalis, PETRI GASSENDI[q], refutaui. Viuunt igitur, in intermundiis, beatiſſimi dii, cum ne hic ipſe mundus quidem digna illorum ſedes eſſe poſſit. viuunt, et, vt poetae olympum deſcripſerunt, ita, vbicumque tandem ſint, in ſedibus beatis tamen, et quietis verſantur,

Quas neque concutiunt venti, neque nubila nimbis
Adſpergunt, neque nix acri concreta pruina
Cana cadens violat, ſemperque innubilus aether
Integit, et large diffuſo lumine ridet.

Hunc Deum rite beatum dixerimus, qui vitam beatam in animi ſecuritate, et in omnium munerum vacatione ponit! hunc comprehendamus nobis animo, et proponamus ante oculos, deum, nihil aliud, vt cum CICERONE[s] loquar, in omni aeternitate, niſi, mihi pulcre eſt, et, ego beatus ſum, cogitantem! niſi forte olim ad meliorem mentem redire dii boni, et, vt mendacem faciant Epicurum, numquam nictitare, numquam rurſus quieſcere, ſed in adminiſtrando imperio, vigiles ſemper, hilaresque eſſe velint. nam ita, apud LVCIANVM, Iupiter dicit: τὸν Δία δὲ ἐμὲ,

οὐκ

q) *In ſyntagm. philoſophiae Epicuri p. m. 72. ſeq. animadu. 2. 3. cet. p. 107. 129. ſeq. edit. Hag. Com. 1654. 4to.* GASSENDVS *anim. 3. p. 125.* haec habet: *quam ob rem Deus, tempore illo, ipſa ſui contemplatione, quae operatio facillima,* QVIETISSIMA, *iucundiſſima, vt plerique omnes obſeruarunt philoſophi, beatiſſime fruebatur.* cetera.

r) Verſus LVCRETII ſunt, *de rer. natur. lib II. verſ. 19. ſeq.* antecedens haec legit: *adparet diuum numen, ſedesque* quietae. conf. CVDWORTH. *ſyſt. intell. p. 1178.*

s) *De nat. deor. lib. I. cap. XXXXI. p. 505.*

t) *In bis accuſato* mox ab init. *p. 213. Tom. II. edit.* GRAEVII.

οὐκ ἔχει νήδυμος ὕπνος. εἰ γάρ που καὶ μικρὸν ἐπινυςάζομεν, ἀληθὴς εὐθὺς ὁ Ἐπίκουρος, ἀπρονοήτους ἡμᾶς ἀποφαίνων τῶν ἐπὶ γῆς πραγμάτων.

SVPERESSENT adhuc, quae dicerem, et copiosa abundat rerum varietas, multaque in promtu essent, quae modo huc, modo illuc inseri, et quasi interkalari possent, nisi vererer, vt in tantum adcrescat opella mea, vt libelli academici molem superare, et magnitudine sua laborare, quibusdam visu futura sit. sufficiant igitur ista mihi, et praesenti negotio meo, plura enim, qui desiderat, fimbriam is, vt adsuat, huic auctor sum. spaciosissimus campus est historiae philosophicae, deliciarum mearum, et, nisi tempore inclusus nimium fuissem, non dubito, quin et ex aliis auctoribus producere multa potuerim, quae illustrare quietem Dei, potuissent, addi etiam ad ea, quae iam dicta sunt, fusiusque explicata. vt enim hoc vnicum commemorem, rectissime quidem ab Epicuro dici, *vita Dei nihil esse beatius, nihil cogitari bonis omnibus affluentius posse*. itemque illud: *sua sapientia, et virtute Deum gaudere, nullis occupationibus implicatum esse, sed vacare penitus a muneribus*, quae aliqua ex parte, largior, admitti omnia possunt. at enim vero, quia id ob mundi administrationem potissimum dictum est, quasi eamdem sine labore Deus, molestia, difficultate, incertitudine, sudore, obire non possit, propterea, et optimo quidem iure, haec sententia, cum GASSENDO, explodenda est. *Si quidem non tam facile*, ita enim dicit egregie acutissimus philosophus, *digitum aliquis videt aut mouet, quam Deus et intelligit, et dirigit quidquid est rerum. nam, si eius quidem cognitio ac virtus comparatione tantae molis limitata essent, aut exigua, adparere res probabilis posset. at, cum vtraque infinita sit, nihil penitus est, quod ipsi facessere negotium possit, sed omnia simul intelligit, atque infinite facilius, quam nos quam minimum quidquid libet.* sed, vt dixi, in hoc capite adquiesco, et, iam totus veram Dei quietem spiro, sed, quam feliciter, prudentiores iudicent!

* *

SECTIO. III

DE. QVIETE. DEI. MEDITATIO

§. I

Mathematicorum, quietis, *definitio. scholia quaedam adiecta.*



VIES est permanſio corporis in eodem loco. *locum*, mathematici, pro parte infiniti ſpacii, et inmenſi, habent, in quo mundus omnis conſiſtit. *ſpacium* quando nominant, receptaculum ſibi fingunt, rem extenſam, et infinitam, cui inſeri corpora poſſunt [a]. *extenſio*, diuerſarum partium continentia, dicitur, quae mente tamen omnes ſibi, vt ſimiles, concipiuntur. *corpus*, extenſum eſt, qua longum, latum, atque altum. *permanet* autem in ſuo loco corpus, quando a cauſſa, extra ſe poſita, ad motum minime ſollicitatur.

SED, ohe! ſatis eſt finitionum! necque enim iſte ſaeculi mihi mei mos placet, quando animum ad ſcribendum adpellis, vt tertiam, ante omnia, libellorum philoſophicorum partem, omnesque definitiones, deſcribas, cum, quas ſi recte perpendimus, inſeruire ſaepiuſcule inſtituto tuo haud poſſint. Saluae erant leges boni ordinis, et tu omittere has omnes poteras, in primis, cum in ore omnium, et populari adprobatione verſantur!

NISI quae locum occupant, in alias res, vt motus aeque, ita quietis idea, cadere nullo modo, et transferri poteſt. cum igitur, replere ſpacii partem, corporibus tribui tantum poſſit, de ſolo corpore, quis non videt, quod et moueatur, et quieſcat, dici poſſe?

CORPVS

a) A mathematicis, iſtas notiones, cum his rebus, coniungi, dico, probe gnarus, alias longe, a metaphyſicis, ſubpeditari. vtra autem pars ſit potior, iam non quaero. ſufficit mihi, haec potiſſimum notio, ad rem praeſentem.

CORPVS porro, si semel quiescit, vbi nimirum vlla caussa externa necque agit in id, necque egerit vmquam, non modo in posterum quiescet semper, sed et, ante quieuisse perpetuo, recte adfirmatur [b].

§. II

Quae Deo tribuuntur, proprietates, hoc nomine, improprie, veniunt, cum ab essentia haud distinctae, nil aliud, quam ipsa essentia, sint. Mens humana, sicut omnia diuina, ita nec eius quietem *capit.*

ITA vero numquam ad institutum meum accederem propius, quando, quae, per naturam suam, corporibus competit, proprietatem, facultatemque, permanendi perpetuo in suo statu, vim inertiae puto, exponere iam iam, siue perpetuam, nisi viribus externis, potentiisque, inpulsa, hanc legem non sequatur, quietem sistere, et copiose quidem, velim. quies Dei est, ex alio longe adtributorum genere adfectio, cui explicandae operam potius conferre, quibusque illa perfectionibus absoluatur, exponere praestabit. Vnum, idemque est in se, diuina omnis essentia, et, quaecumque diuersis inter se nominibus explicantur, adtributa, ea, si adposite loqueris, proprietatum nomine haud ita venire debebant. diuersae enim sunt ab essentia, proprietates, prior est essentia, et deducuntur demum ex eadem, fluuntque inde, proprietates. in Deo, contra, praeter essentiam, nihil est, et, quod inter adtributa eius, ipsamque adeo naturam, intercedit discrimen, illud omne, a rationis nostrae, pendet, ingeniique, imbecillitate, quod vno sibi, et, adaequato conceptu, vnam Dei perfectionem, multipliciter tamen sese, et diuersimode explicantem, proponere minime omnino potest. Imperfecte sibi proponit, sed non errat, mens nostra, in adscribendis Deo proprietatibus, quas, vt ab essentia distinctas, sua, quamlibet, peculiari notione explicat, et, vnius effectum, ab alterius operatione, seiungit. Deum, tamquam ens in genere, ante omnia, ratio considerat, addit laxissimae huic notioni, vitam, et, ens viuum, eum dicit, intellectum porro,

b) Confer §. III. integram.

porro, ſcientiam, et, voluntatem ipſi tribuit, voluntatis adtributa, aut, per adfectuum modum, animique commotionum, proponit, aut, per virtutum moralium nomina diſtribuit, tandem vero etiam, neſcia, quem locum, gloriae diuinae, potentiae, beatitudinique, addicat, adtributis diuinis, iſta, et alia plura, adiungit, vnum tamen ex iis ſi conſiderat, reliqua non excludit, ſed, cum vno, ſimul omnia comprehendit. Parum in Deo ſublimitatis foret, parumque potentiae, ſi humana mens, quae, praeter limitatum, corporeum, confuſum, inperfectum, vix quidquam capit, magnitudinem tamen eius, praeſtantiamque adſequeretur. Certe, ſicuti ad meridianum ſolem, oculi noctuae, ita homines, ad diuinam lucem, adeo caligant, adeo praeſtringunt ingenii aciem, vt, quo magis, penitiusque, hunc ignem inſpicere geſtiunt, eo coeciores fiant. Cum igitur ex omni diuina eſſentia, et, ex omnibus omnino eius proprietatibus, et adtributis, (veniant enim hocce nomine interim,) efficiatur demum, et quaſi reſultet, eius quies, quod mox patebit, animique tranquillitas, ſi cauſſam non intelligis, cogita, quo tandem modo quietis huius eſſentiam capere poſſis.

§. III

Obiectiones quaedam ſolutae. num Deus, ante, quam ad huius vniuerſi machinationem accederet, dormiuerit? cur non prius mundum condiderit? reliqua.

QVAM (§. I.) dedi quietis notionem, eam, quis eſt tam rerum omnium ignarus, planeque nihil videns, quin, locum prorſus ſuum obtinere, apud Deum, non poſſe, ſtatim profiteatur? Vi ſua, Deus, et interna, conſtat. quae autem partibus compoſita ſunt, ea non idem. hinc ſimplex eſt omnino, corporisque ideam penitus omnem reſpuit. fac enim, compoſitum Deum eſſe, vine, quaeſo, ſua, quaeuis iſta pars perſtat, quaero ex te, an aliena? ſi prius fingis, nonne, Deum, vides, ex multis diis, a te componi? et, ſi poſterius, res, a ſe inuicem diuerſae, quarum quaeuis alium ſui auctorem agnoſcit, explica mihi, ſodes, acutule! qua ratione, naturam, vi ſua conſtantem, efficiant? hinc, cum ex concretarum rerum numero, Deus eximatur, ſua eſt mechanicis finitio, optimo

optimo iure, relinquenda. ſed adducenda tamen a me fuit propter ea, cum naſutuli quidam, et proterui inpietatis patroni, audaces producant in medium quaeſtiunculas, quae, quoniam, cum ab iſta quietis notione, trahere originem ſuam videntur, tum adfinitatem praeſertim ſuam, cum inſtituto meo, haud mentiantur, ante omnia, quamuis pauciſſimis, diſcutienda veniunt. Quaerunt, ſi mundus a Deo conditus eſt, quare non citius manum operi huic admouerit? quidnam tandem illud ſit, quod Deum inpulerit, vt, tot ſaeculis otioſe conſumtis, nunc demum, ſubito, tantum opus adgrederetur? cur mundi aedificator repente exſtiterit? innumerabilia ante ſaecula dormiuerit? certe, quod ſi inmenſo illo, quod anteceſſit mundi ortum, ſpacio, vigilaſſet, aut, abſtinuiſſet prorſus a machinatione tantae molis, aut, maturius eamdem ſuſcepiſſet. quare ab aeterno, tam horridis, quibus cinctus erat, tenebris, non ſecus, ac in tetro, ſqualidoque carcere, vixerit? et quae ſunt reliqua [c]. nugatorias, omni ex parte, et, pueriles quaeſtiones! ſed, ne audaciores tamen hi nugiuenduli euadant, age, reſpondeamus. Primo, ſi hoc ſibi volunt, quare mundus non ſimul, cum Deo, ab aeterno exſtiterit? naturae eius id repugnare, reſpondeo. aeternum enim quod eſt, ſiue *initii* ex-

 pers,

c) VELLEIVS ita diſputat in primis, EPICVRI ſectator, apud CICERONEM, *de natura deorum, lib. I. cap. 9. p. 475.* confer LVCRETIVM, *de natura rerum, lib. V. verſ. 169. ſeq.*

Quidue noui potuit tanto poſt, ante quietos,
Illicere, vt cuperent vitam mutare priorem?
Nam gaudere nouis rebus debere videtur,
Quoi veteres obſunt. ſed quoi nil accidit aegri,
Tempore in ante acto, cum pulcre degeret aeuum,
Quid potuit nouitatis amorem accendere tali?

et, *verſ. 175. 176.*

An, credo, in tenebris, vita, et moerore, iacebat,
Donec diluxit rerum genitalis origo?

vid. RADVLPH. CVDWORTHVS, *in ſyſtem. intellect. Part. I. cap. 2. §. 19. p. 90. ſeq.* et, *Part. II. cap. 5. ſect. 5. §. 22. p. 1187.* ad quem vltimum locum, egregia ſunt, quae adnotauit vir ſummus, IO. LAVR. MOSHEMIVS. neque vero minoris pretii, PETRI GASSENDI dicta, *in ſyntagm. philoſoph. EPICVRI, p. m. 124. edit.* Hagae Com. 4.

pers, id et perfectiſſimum ſit, neceſſe eſt. non enim, quae ſufficeret, ratio adeſt, quo minus id, quod ex infinito fuit, omnium omnino perfectionum ſit particeps. necque vlla cauſſa inuenitur, quae impedire illud potuerit, quo minus ſit perfectiſſimum. perfectum autem, finibus caret, et interminatum eſt omni ex parte. iam vero, cum finibus ſuis mundum circumſcriptum eſſe, cum, adiici eidem, et addi, demi etiam multa poſſe, pateat, per magnitudinem ſuam, efficeretur tamen, vt, et finitus is eſſet, et ſimul, perfectiſſimus, quod aperte falſum eſt [d]. Deinde vero, quando hoc innuere, iſtis inanibus liticulis, geſtiunt, ſi igitur ab aeterno fieri mundus haud potuit, quare non maturius, a Deo, ſed, verbi cauſſa, a ſex millibus demum annorum conſtructus eſſet? arbitror equidem, ſi mundus ante tot annorum ſeriem creatus fuiſſet, atque Archimedes, in arenario, proponit, ſi a myriade, vſque myriadum annorum, conditus fuiſſet, et, vlterius etiam pergendo, quocumque demum tempore creatus fuiſſe concederetur, idem tamen eosdem rogaturos fuiſſe. vt taceam, qui primum illud obiiciunt, manifeſto inſcitiam ſuam, ſtuporemque ſuum, prodere. cum enim temporum ordo, in aeternitate, locum obtinere non poſſit, (eſt enim ſtabilis iſta, ſucceſſionis expers, fixa, inmobilis,) talemque eſſe quoque aeternitatem, dederint, quis non videt, hoc ab iis quaeri, quare non tempus fuerit, antequam eſſet tempus? hinc vero tibi, qui ita quaerunt, rationi parere, aut omnem penitus, cum ſenſu, rationem potius eiuraſſe, videbuntur? Quid autem egit interim Deus? num otioſe ſaecula conſumſit? num dormiuit forſitan? recte omnino, et bene, ingenioſiſſime mortalium! ea certe ſagacitate es, et, obrepere ſomnum, in illam naturam

d) Rectiſſime ait IO. PHILOPONVS, grammaticus, *in libro, de aeternitate mundi, contra* PROCLVM, *p. 4. edit.* IO. TRINCAVELLII. *καὶ ἡμεῖς ἄρα μὴ εἶναι τὸν κόσμον ἀΐδιον ὑποτιθέμενοι, οὔτε τὸ εἶναι τὸν θεὸν ἀεὶ ἀγαθὸν ἀφαιρούμεθα, οὔτε ἀσθένειαν τῆς δημιουργικῆς αὐτοῦ κατηγοροῦμεν δυνάμεως· ἀλλὰ μὴ δύνασθαι ἀεὶ εἶναι τὸν κόσμον δι᾽ αὐτὴν τὴν τοῦ γινομένου φύσιν ὑποτιθέμεθα.* cuius loci, verſionem latinam ſubiungere placet. *nos ipſi etiam adſumimus, quod mundus ab aeterno non exſtitit, id minime, inopiae cuidam, bonitatis, aut potentiae, in Deo, adſcribendum eſſe. ſed mundum ideo non fuiſſe ab aeterno, quia non potuit ab aeterno eſſe.*

ram, posse, adfirmare audes, quae tota, cum sit animus, et simplex, quae, cum numquam corporea vexetur mole, aut vlla demum operum defatigatione, nihilo minus tamen, vt, pro incredibili tua perspicacia, optime ista omnia conciliare poteris. quae tibi, vt propria sit, et perpetua felicitas, si ita cupis, adprecor! Scisne vero, quid egerit Deus perpetuo? dicam tibi. id nempe, scias, quod nunc agit. *Deus sua ipsius contemplatione, beatissima, et iucundissima, quietissime, perfruebatur.* de quo statim videbimus.

§. IIII

Ex voluntate Dei patet, necque intellectu eumdem destitutum esse, qui certe, sicut omnia, ita et se ipsum perfectissime cognoscit.

DIVINA adtributa ex effectibus suis, tamquam ex caussa sua, agnoscuntur, et, in exemplis, quid limitibus suis obnoxium sit, quid minus, consideratur. quibus itaque finibus res continentur, istos si ademeris, infiniti entis notionem, quod intuitiue comprehendere non potes, tamen habebis. Hac ratione, quo modo in rem praesentem venire poterimus, iam, age, videamus. Mundus, cum is fortuitus sit, minimeque necessarius, a Deo factum eumdem intestina naturae suae necessitate esse, neutiquam putandum est. cum autem in natura simplici, eademque sui, plenissimique iuris, a quo vis et conatus, viriumque adplicatio, (quae tamen non pendet ab eo, quod necessarium est, non enim ab existentia Dei necessaria proficiscitur,) deduci possit, praeter voluntatem, nihil sit, diuina natura voluntate gaudet, quae vero, cum sine intelligentia esse nequeat, intellectum etiam, rectissime, adtribuendum Deo esse, censendum est. Ista igitur intelligentia, perfectissima illa, eorum, quae fieri possunt, omnium, et distinctissima repraesentatio, quae non, vt facultas, sed tamquam actus merus, rerum omnium, sine successione, sed simul, et adaequate semper cogitanda est, ita tamen comparata est perpetuo, vt humanae mentis vim superare, nostraeque cognitionis angustias prosternere possit. Hoc scimus, certe dicimus, intellectum diuinum, principium esse essentiarum omnium, resque esse omnes

propterea possibiles, cum a diuina sibi intelligentia repraesentantur. Quod si verum est, vt est verissimum, Deum, nempe, quam distinctissime fieri potest, admixta ne leuissima quidem confusione, aut obscuritate, omnia cognoscere, patet enim hoc ex intellectus diuini definitione, necesse est, per distinctionis notionem, vt rerum a se inuicem discrimina, constituere etiam, determinare, et ea quidem ita, possit, vt, ad summam earum rerum absolutionem, nihil omnino vmquam deficiat. Iam, quoniam, qui res a se inuicem discernit, et separat, earum ipse rerum sibi et conscius sit, hoc vero qui potest, sibi et ipsi sit, suaeque existentiae, conscius, Deum et sui conscium esse, efficitur, suaeque existentiae. Vlterius progredior. qui sui sibi est, earumque rerum, conscius, quas perpetrat, is semet ipsum cognoscit. Certe, animus humanus, si conscius sibi, actionumque suarum est, dicitur, se cognoscere. Cum vero in intellectu diuino, quod diximus, repraesentatio rerum, actus ille sit, qui a virium diuinarum adplicatione proueniat, easque res separet a se diuina intelligentia, earumque, et sibi simul, sit conscia, Deum certe se ipsum cognoscere, verissimum est. omnis autem diuina represe ntatio, cum sit perfectissima, vt, perfectissime et se cognoscat, hinc efficitur.

§. V

Deus est beatus. beatituto Dei, ab illa hominum, diuersissima est.

DEVS, si se ipsum cognoscit perfectissime, essentiam suam vt perspiciat, exinde cogitur. dicunt autem essentiam Dei, quod a se sit, et eidem vim actuosam, adaequate sibi omnia, seu, mundos omnes possibiles, repraesentandi, vno, simplicique intuitu, adscribunt. Requiritur ad id, vt sumi perfecto nulla possit, quae, quotiescumque demum repetita, diuinam illam perfectionem metiri possit. Dum igitur essentiam suam Deus intuetur, videt, se ipsum perennem illam perfectionum omnium possessionem esse. per essentiam suam se existere, non ignorat. non potuisse fieri, vt non fuerit, aut non foret aliquando. adtributa, porro, se, quae fieri possunt, omnia, vere, et simpliciter realia, habere, et

sine

ſine gradu quidem. facultatem, agendi omnia ex interno principio, prout id perfectiones eius requirunt, poſſidere. promtitudine, etiam, conferendi aliis, realitates, et perfectiones, gaudere. bonitatem ſuam, ſapientia, temperatam eſſe. vimque tandem, conferendi poſſibilibus omnibus, exiſtentiam ſe habere. et ita porro. In hac igitur eſſentiae cognitione, eximia penitus, et conſummatiſſima, fieri prorſus nequit, vt non ſit ſumme beatus. ſiquidem bona, a ſe ipſe, ſolus, et iſta quidem omnia, in ſummo gradu, habet, ſiquidem aeternus ſolus, et inmutabilis, naturaque nulli corruptioni obnoxia, de ſtatu deturbari ſuo numquam poteſt, necque, quae excedat forſan, quam iam habet, perfectionem aliam adipiſci. Cum autem hominis beatitudo, progreſſu non interrupto ad maiorem ſemper perfectionem conſiſtat, hac ſignificatione venire apud Deum iſta neutiquam poterit, qui maioris perfectionis capax amplius non eſt, ſed iam ab aeterno ſummas perfectiones poſſedit ita, vt ad plenariam eius conſummationem nihil prorſus defecerit. Igitur ſumma eſt Dei beatitudo, rebusque creatis inpertiri de eadem nihil omnino poteſt.

§. VI

Voluptas, ſiue, gaudium, num adſcribi Deo poſſit? num ex affectuum genere ſit iſtud gaudium.

ANIMVS humanus, ſi perfectiones contemplatur, non poteſt non fieri, in primis vero, ſi ſuarum ſibi perfectionum eſt conſcius, vt voluptate eximia adficiatur, ſenſuque earumdem delicatiſſimo mulceatur, et deliniatur. Quando igitur animus, in via, ad interruptum progreſſum, maiorum ſemper perfectionum, conſtitutum ſeſe, et delatum, videt, hoc eſt, quando beatum ſemet ipſe conſpicit, ſi adtendit bene ad hanc felicitatem, eamdemque intuitiue, vt ita loquar, cognoſcit, vt gaudium inde, voluptatemque hauriat, neceſſe eſt. Voluptas ergo ex beatitate ſequitur, apud hominem, quae mutationem tamen conditionis ſuae requirit. Aliter longe eſt apud Deum, qui, cum ſit primo immutabilis, necque vero et hoc admittit, vt, cum voluptas hominis oriatur ſaepius ex confuſis, et inter ſe perplexis notionibus, ipſe

ipſe forſitan pugnare cum eiusmodi inadaequatis imaginibus debeat. Dolendum ſane eſt, ipſam voluptatem in genere, inter eas notiones pertinere, quae omni ex parte minime definitae, maxima potius obſcuritate laborare ſtrenue videntur. In conſcientia, vulgo, perfectionum, voluptatem ponunt, et egregie admodum, ipſam voluptatem, cum cauſſa, vnde proficiſcitur, confundunt. rectius facerent, qui, perfectionem, primo, deinde, conſcientiam perfectionis, tandem vero etiam, ipſam, quae oritur inde, voluptatem, a ſe inuicem diſcernerent, eamdemque per conditionem eiusmodi, ſtatum, ſeu habilitatem, quae originem demum ſuam, rationemque, in cognitione perfectionum intuitiua, quaerit, exponerent. At enim vero, ſtatum rei, ſeu conditionem, putauerim, dicat aliquis, modis, qui rei inſunt, contineri? modi igitur, quoniam adeſſe, ſed abeſſe etiam, poſſunt, mutabiles quippe in ſe, nec duraturi, patere vltro, eosdem, vna cum ſtatu, quod mutatis rei modis, eius et ſtatus inmutatur, cadere in Deum, et transferri non poſſe? Et rectiſſime dicit, quicumque hoc obiecerit. necque enim tempus, necque ſucceſſio, necque mutatio, largior, locum obtinere in Deo poſſunt. porro, intellecturum neminem eſſe, ſi voluptatem ipſe nondum deguſtauerit, quid ſit iſta conditio, quae ortum ſuum ex cognitione perfectionum trahit? quae quidem recte ſe omnia habent. Certe, vix equidem mihi auderem, notam eius ſtatus adferre, in quo voluptas animi noſtri obtinet. vnum videbo, quid mathematica methodo poſſim. Scilicet, rei definitionem, mathematici, inter alios modos, et ita inueniunt, quando compoſita in partes ſuas diſſoluunt. bene quidem, et eleganter! ſtatus igitur, eſt determinatio modorum, hoc eſt, noui modi rei accedant, neceſſe eſt, aut, ipſi, qui iam adſunt, aliqua ratione mutentur. ſi noui modi rei accedunt, reale quid accedit, aut, ſi modi, qui adſunt, mutantur, in re itidem fit mutatio. quis enim, quaeſo, negauerit, ſi rei, quod eſt extra cogitationem poſitum, acceſſerit, non reale quid eidem accedere? ergo, ſtatus, realis eſt, cui verae proprietates, et reales competunt. realitas autem, ponit aliquid, et, ex magnitudine realitatis,

litatis, perfectio cognoſcitur. Quando igitur voluptatem, in genere, per reale eiusmodi, (nulla tamen modorum ratione habita,) quod, ex cognitione, et conſcientia perfectionum, emanat, definiremus, cum ſit principium adeo realitatis, Deus [e], hac ratione tribui, aliquantum, voluptas, Deo poterit. quas enim Deus notiones, de perfectionibus, habet, eae, quamuis plus quidem, minus certe numquam, continere in ſe, quam noſtrae, poterunt. Ergo tribui Deo illud poteſt, vnde voluptatem nos deducimus. quod ſi quis negauerit, is, in notionibus diuinis, de perfectionibus, minime id contineri adfirmabit, quare tandem perfectionum numero venire debeant. ergo datur in Deo voluptas. In qua tamen, Deo adſcripta, monendum hoc eſt, modulo humano eam minime, perturbationumque animi quarumdam, eſſe omnino metiendam. proprie enim, qui dicuntur, eiusmodi affectus, cum excandeſcentia quadam, ſanguinisque commotione, coniunctos, et totos, quanti quanti ſunt, nil, praeter vnum ſapientes, meram inperfectionem, locum obtinere apud Deum poſſe, minime credendum eſt, qui potius Deo cum adtribuuntur, non ſane relatione habita, id fit, ad ipſum Deum, ſed in ordine, ad res, quae extra Deum ſunt, et circa quas Deus operatur. Affectus igitur diuini, recte, voluntatis actus, dicuntur, qui, poſita ratione ad operationes hominum, cum iisdem, ſi a perturbatione tamen receſſeris, conueniunt, vbi in ſingulis affectibus, in voluntate, effectibusque diuinis, cum operationibus hominum, quaerenda eſt, vt dextre

eos

e) Pertinet huc GODOF. GVIL. LEIBNITII illud, *eſſais de Theodicée ſur la bonté de Dieu, la liberté de l' homme, et l' origine du mal. Tome II. §. CLXXXIIII. p. 85 ed.* NEVFVILLE. *Toute realité doit être fondée dans quelque choſe d' exiſtant. Il eſt vrai qu'un Athée peut être Geométre Mais s'il n'y avoit point de Dieu, il n'y auroit point d' objet de la Geometrie. Et ſans Dieu, non ſeulement il n'y auroit rien d' exiſtant, mais il n'y auroit même rien de poſſible.* et, *in cauſſa Dei §. VIII. p. 346. edit. cit.* ait, *ipſa rerum poſſibilitas, cum actu non exiſtunt, realitatem habet fundatam in diuina exiſtentia: niſi enim Deus exiſteret, nihil poſſibile foret, et poſſibilia ab aeterno ſunt in ideis diuini intellectus.* adde, quae idem vir ſummus habet, *Theod. Part. I. §. VII. p. 76.* et, *Part. III. §. CCCXXXV. p. 198.*

eos explicare poſſimus, conformitas, qui ceterum ſine iuſta idoneaque ratione, niſi, quod ſimile ſit humanis, in iisdem deprehendatur, humanorum affectuum nomine appellarentur[f].

§. VII

Definitio quietis Dei. *alii, tranquillitatem, a quiete, ſeparant.*

CVM igitur ſe ipſum Deus, (§. IIII.) et eſſentiam ſuam conſideret, (§. V.) haec autem eſſentia conſummatiſſimae perfectionis finis ſit, ſequitur, quoniam conſcius ſibi Deus eſt iſtarum perfectionum, (§. IIII.) omnisque earumdem conſcientia, voluptatem adfert, (§. VI.) vt plenario in ſe ipſo, vniceque adquieſcat. eſt enim αὐτάρκεια[g] diuina, ſiue QVIES DEI, *voluptas beatiſſima, quam ex poſſeſſione perfectionum ſuarum omnium perenni percipit.* (§. V. VI.) Si igitur voluptas adſcribi Deo poterit, bono-

f) Vid. CLEMENS ALEXANDRINVS, *Stromat. lib. V. p. 248.* et, HIERONYMVS *ad lamentationum* HIEREMIAE *caput I. membra hominis*, ait, *ſicut et* affectus humani *tropice Deo adſcribuntur, non proprie, quia incircumſcriptum lumen et immenſa maieſtas liniamentis corporis circumſcribi non poteſt.* eodem modo membra Deo adſcribuntur, de quo elegans locus eſt apud PRVDENTIVM, *in apotheoſi, verſ. 925. ſeq. p. 189.*

Collige de ſimili, ſitne haec factura. creauit
Nempe manus domini corpus mortale, lutumque
Compoſuit digitis. numquid manus articulatim
Eſt digeſta Dei? numquid vola, numquid et vngues
Claudere flexibiles? patulam ſeu tendere palmam?
Iſta figura manus noſtrae eſt, quam non habet in ſe
Incircumſcriptus dominus, ſed tradita forma eſt,
Humanis quae nota animis daret intellectum,
Vt per corpoream ſpeciem plaſmaſſe feratur
Corporis effigiem. reliqua.

Vide, quos laudat IO. WEITZIVS, *in notis ad h. l. p. 659.* ATHANASIVM, *dialog. III. de S. S. Trinitate:* ἐπὶ θεοῦ ὅταν λέγονται μέλη ἢ μέρη, ἀνθρωποπαθῶς μὲν λέγονται, θεοπρεπῶς δὲ νοοῦνται. et, PHILONEM, *libro de ſacrific. Abelis, et Kaini:* ὥς τε οὐδὲ τὰ ὅσα ἀνθρώποις ἐπὶ θεοῦ κυριολογεῖται· κατάχρησις δὲ ὀνομάτων ἐστὶ παρηγοροῦσα τὴν ἡμετέραν ἀσθένειαν.

g) Hoc vocabulo LEIBNITIVS et ipſe vſus eſt, quando monadum exprimere ſufficientiam voluit, vi cuius, in agendo, a nullo alio ente creato pendent. theorema, quo latet haec αὐτάρκεια, hoc eſt: *nulla monas deriuatiua, phyſice, influere poteſt in interius alterius monadis deriuatiuae.*

bonorum ſuorum comes, vt fieri, quemadmodum euicimus, id recte poteſt, quies etiam rectiſſime ipſi tribuitur. ergo, datur in Deo quies. Quod ſi autem, a quiete, tranquillitatem, quod quidam faciunt, mente, cogitationeque, ſeparaueris, quia in Deo ad ſummam omnia abſolutionem perſtant, ita, vt cogitari, quodnam tandem perfectionum nouum genus ipſi tribuendum ſit, nihil omnino queat, vt adeoque nihil habeat, quod eidem deſit, aut quod optare ſibi poſſet, ſed omnia, quae concipi poſſunt, bona iam poſſideat, recte et tranquillitatem Deo dederis. ergo, datur in Deo tranquillitas. vno tamen nobis, eodemque nomine, duo haec vocabula veniant, vbi in primis, et ſi vel maxime, intercedere diſcrimen aliquod, concedamus, gradu tantum, quies a tranquillitate differre videatur. (§. II.)

§. VIII

Quies Dei vna eſt in ſe ſemper, non maior, non minor, ſed ſibi ipſa ſimilis perpetuo.

SVFFICIT autem, quoniam, niſi comparatione ad eas, quae ſunt in ceteris rebus obſeruatae, diuinas perfectiones cognoſcere, quatenus in ſe ſunt, nequeamus, vt, eſſe etiam praeterea alias in Deo, quae ad noſtras ſunt, vt ad vniuerſum atomus, comparatae, quas ne ſubodoremur quidem, profiteamur. Cum enim nihil ſit aliud, beatitudo, quam iucunda quaedam, et conſtans bonorum poſſeſſio, cum omnis moleſtiae excluſione coniunctiſſima, Deus certe, bonorum omnium fons, quoniam nullo carere bono poteſt, non poteſt non beatiſſimus concipi. (§. V.) intelligentiſſimus conditionis ſuae, non poteſt exinde non maximo opere delectari. (§. VI.) aeternus et inmortalis, non poteſt non conſtantiae ſecurus eſſe. et, expers malorum, ab omni omnino moleſtia alienus, vitam degere. quod ſecus longe eſt apud hominem. Fac enim, voluptate eximia hominem adfectum eſſe, aut augetur illius gaudium, ſi quid reale intuetur, aut, ſi res eiusmodi euaneſcit, inminuitur. porro, incrementum, voluptas noſtra, ex aucta

rerum distinctione, capit, sed deficit admodum, si minus et minus iam cognoscimus [b]. Sed, non potest id in Deum cadere aut transferri. nam, diuina cognitio, cum ad omnia extendatur, quae sunt, et erunt, et fuere, quae esse potuerunt, necque fuerunt tamen, quae esse iam possent, et tamen non sunt, quae esse possent in posterum, necque tamen vmquam futura sunt. porro etiam, cum haec omnia distinctissime aeque, atque simul, cognoscat, sine vlla vmquam mutatione, aut iactura, vt et vnam semper, eamdemque, de illorum perfectionibus, mentem foueat, necesse est. Eadem vero, earumdem perfectionum, contemplatio, cum, non, nisi sibi similem, semper, voluptatem excitet, (nam inperfectionis reum te arguis, si, in perfectione cognoscenda, plus iam, quam ante, voluptatis, et gaudii, percipis,) Deus autem, per intellectum suum, quo perfectissime omnia, et distinctissime contemplatur, cum semet ipse semper, et res possibiles quaslibet vno eodemque modo, perspiciat, vt et quies eius, vna sit in se semper, non maior, non minor, exinde sequitur, sed quam cognitionem, et de rebus omnibus, et de se ipso habet, eam habuit ante saecula, et in duraturam quamuis, modo sibi simillimo, aeternitatem, habiturus est.

§. VIIII

Dei quies sine satietate est, sed infinita est, sed perpetua.

POTERAS autem obstrepere, non posse admodum a te eiusmodi felicitas et quies concipi, Deo conueniens, quae non, nisi

b) Immo vero, voluptas hominum, et gaudium, si nimium adcrescit, malum est, quo non aliud velocius vllum ad perniciem ducit, de quo dignissima verba sunt LEIBNITII, *essais de Theodicée. part. III. §. 252. p. 137. edit.* NEVFVILLE. *Il faut ajouter que l' usage trop fréquent, et la grandeur des plaisirs seroit un très-grand mal. Il y en a qu' Hippocrate a comparés avec le haut mal, et Scioppius ne fit que semblant sans doute de portes envie aux passereaux, pour badiner agréablement dans un Ouvrage savant, mais plus que badin. Les viandes de haut goût font tort à la santé, et diminuent la délicatesse d' un sentiment exquis; et generalement les plaisirs corporels sont une espece de dépense en esprits, quoiqu'ils soient mieux réparés dans les uns, que dans les autres.* cuiusmodi vero quid, in Deum, haud cadit, quoniam corpore non adstrictus est.

nisi eam semper, cogitationem inuolueret: mihi pulcre est, et, ego beatus sum. et, quae ex vna tantum, et indesinenti, in totam aeternitatem, sui ipsius contemplatione, proficisceretur. largior hoc tibi, multa enim sunt, quae in Deo non potes concipere, necque vero miror, si quietem tu non possis. Cogita tamen, actionem istam, ex qua oritur voluptas, ita demum mutari debere, si facultas aliquando satiatur, necque perpetuo adfecta, alicuius rei gaudio, sine interruptione, tangitur, si quidem, in cibo, et potu sumendo, voluptas, per satietatem facultatis nostrae, desinat aliquando, quod minime sane futurum esset, si incapax saturitatis, edendi, bibendique facultas, foret. Longe secus est apud intellectum, qui copia rerum cogitationumque, abundat numquam, qui certe, quo plura scit, eo magis ad cognoscendum, vlterius vires suas intendit, omnemque omnino operam adhibet, vt, et plura addiscat, et maiorem semper voluptatem in dies percipiat. Immo vero adhuc secius longe est apud diuinum intellectum, cui obiectum infinitum, voluptatem potest, in omne aeuum, perpetuam, continuamque, excitare, perfectionesque eius, earumdemque perceptio et sensus, gaudiorum memoriam delere numquam valent. Necque vero est, cum intellectum diuinum expertem dico satietatis esse, cur propterea eumdem angi putes, dum, quod infinitum est, contemplatur, et id, quod finibus non coërcetur. ita enim demum saturitatis deficientia coniuncta cum angore est, quando priuatur facultas re sua, et obiecto, minime vero, quando re ipsa fruitur eodem, vbi potius, quam diu sine saturitate fructus est, voluptas numquam desinit. et, quamquam ipsius obiecti adsecutio, vocari possit, vt et vocatur re ipsa vulgo, satietas, ea tamen potius est plenaria, et absoluta vndique, satietas, si haud vlterius adfici facultas, voluptatemque percipere, iam poterit. Cum igitur, et, in se infinitus sit, diuinus intellectus, et, res infinitas etiam, se ipsum nempe, suasque perfectiones, contempletur, vt capi satietate huius contemplationis possit, fieri numquam potest, vt potius ea sit felicitas Deo conuenientissima, quae, cum ex in-

tuitu ſui ipſius, ſuarumque perfectionum, promanet, ſatietatis capax eſſe nullo modo poteſt. Iam vero, quoniam, ex ſenſu perfectionum, voluptateque, quies Dei oritur, finem autem iſtae perfectiones non recipiunt, et ipſa voluptas ſatietatem non admittit, ſed conſtans potius, perpetuaque ſemper, permanet, vt et quies Dei infinita ſit, et perpetua, neceſſe eſt.

§. X

Quies Dei, conſiſtere, cum prouidentia eiusdem, optime poteſt.

EST autem iſta quies Dei coniuncta cum *indifferentia* quadam, quam *exercitii* vocant, de qua verbo exponendum eſt. Intelligunt autem hoc vocabulo tria potiſſimum. primo enim agens aliquod intelligens, in aequilibrio, ponunt, inter diuerſas partes, eidemque facultatem, et hoc, et aliud agendi, tribuunt, agendique C. et non agendi C. aut, ſi argumenta, quibus A inclinatur in partem Q, nondum ita ſunt maioris perfectionis euidentia in Q, quam in X, A poteſt conatum agendi ſuſpendere aliquantum, et examinare merita Q, quae prae X eminent. quae tamen in finitis, in infinito ente minime vero deprehenduntur. tandem vero etiam, ens liberum facultatem habet, agendi R, et non agendi R, agendi Z, et non agendi Z, ita quidem, vt potentia liberi agentis, et ante voluntatis determinationem, et poſt eamdem, ſit, maneatque perpetuo indifferens, necque vero ex neceſſitate quadam, ſiue extrinſeca, ſiue intrinſeca, ad vnum obpoſitorum R, et Z. determinetur, ſed ab ipſo agente iſta fiat ſponte determinatio, cuiusmodi in Deo admitti, facili quidem negotio, poteſt. Haec enim indifferentia[i], ſummam Dei libertatem prodit, facul-

i) GVILIELMVS KING, in libro ſatis famoſo, *de origine mali, cap. V. ſect. 1. ſubſect. IIII. §. 4. p. 156. ſeq. Qui Deum huius vniuerſi auctorem agnoſcunt*, ait, *fatentur etiam, illum in ſe, ſumme, et abſolute beatum eſſe, nec vllo modo aliorum indigum concipi vero non poteſt, quomodo externa vſui ſint Deo, qui in ſe omnia habet, quae ad beatitudinem ſummam faciunt. neceſſe igitur eſt, vt ſe indifferenter habeat, ad omnia exteriora, nec vlla ratio in rebus ipſis adſignari poteſt, cur aliud alii praeferat.* et, interiectis nonnullis, ita loquitur, *res enim, in ſe Deo*

cultatem illam, agendi omnia, ex principio intrinſeco, ſicut id ſuaſerit diuina rerum omnium cognitio perfectiſſima, quae quidem perſuaſio, voluntati, neceſſitatem non infert, ſed perfectiones id diuinae requirunt. Quoniam vero ad finem etiam Deus vires ſuas dirigit, mundusque exiſtere, et durare, ſine dirigente, et moderatore, non poteſt, cura autem, quam Deus rerum ſemel conditarum gerit, prouidentia dicitur, ſi cum quiete Dei coniuncta indifferentia exercitii eſt, vt et prouidentia cum eadem coniuncta ſit, efficitur. Scilicet, per indifferentiam exercitii, ens non ex neceſſitate agit, ſed vires ſuas libere determinat. eſt autem libertas, facultas, eligendi, e pluribus, id, quod maxime placet. apud Deum ſumma eſt libertas, quae ſapientiam pariter, et potentiam requirit, non excluſa tamen bonitate, quae in promtitudine conſiſtit, conferendi entibus realitates. iſtae vero perfectiones non in contemplatione tantum, apud Deum, ſed potiſſimum in adminiſtratione rerum, conſiſtunt, hoc eſt, peracta ſemel vniuerſi huius creatione, abſoluuntur prouidentia, conſeruatione, et gubernatione. Cum autem libere Deus omnia agat, et conſeruet, quies eius per iſtam prouidentiam minime turbatur, neque vmquam laboris quidquam, aut moleſtiae habet, numquam defatigatur, ſed, ſi vel ceſſet maxime ab opere ſuo, ceſſaret libere, et ſapientiam in conſilium vocans. quod quis enim libere agit, et cum ratione, a nulla cauſſa externa inpulſus, aut coactus, in eo certe curabit ſedulo, ne felicitatem turbare ſuam, et quietem, aliquantiſper poſſit. ergo coniuncta prouidentia Dei, cum eius


quiete

Deo indifferentes, volendo, efficit, vt placeant. porro, *§. 8. p. 159.* in hunc modum verba facit: *non magis Deo moleſtum eſt, res voluiſſe, quam noluiſſe, atque hinc fieri, quod, quando vult, ſint. cum vero nolit, eſſe deſinant. quae ratio, cum indifferentiam rerum, reſpectu Dei, ſubponit, libertatem eius, ad faciendum, aut non faciendum, vindicat, et, id ei placiturum, probat, quod elegerit.* fateor ego, pro lectorum captu interpretationem, haec omnia, ſuam admittere, quamquam et mihi ipſum *indifferentiae* vocabulum, minime placeat, quod tamen retinuit acutiſſimus philoſophus, illuſtris, et celeberrimus, GEORG. BERNHARD. BILFINGER, *in dilucidat. de Deo, anima, mundo, Sect. IIII. cap. 2. §. 351. p. m. 131.* quem ego ſecutus ſum.

quiete eſt. Porro, cum omnibus rebus Deum praeſentem eſſe, hoc eſt, agere in omnia poſſe, recte ſtatuatur, cum omnia videat porro, et omnibus inmediate interſit, necque hoc modo turbari quies eius poteſt. qui enim, et facultatem in res cunctas agendi habet, et praeſens eſt iisdem, et libere operatur, ſi nihilo minus quietem ſuam offenderet, nullarum certe rerum, arbitror, curam acturus eſſet. ergo, cum conſeruatione vniuerſi, quies Dei conſiſtere poteſt. Denique, cum non cadat in Deum inquieta aliqua triſtitia, vt eſt, verbi cauſſa, quando homines miſericordes ſunt, cum animi commotiones, et perturbationes, locum obtinere, apud eumdem, haud poſſint, (§. VI.) non eſt, quod felicitatem ſuam interrumpere, aut quietem tollere poſſit, ſed ſibi ſecum contentus viuit, victurus in ſaecula!

PLVRA iam nolo. quamuis, quae egregie illuſtrare inſtituti mei rationem poſſent, multa adhuc ſuperſint, alii occaſioni reſeruanda. vt taceam, quae, ex theologorum fontibus, diſputari poſſent, audaciae redarguenda, ſi a me exponerentur!

EXCVDEBAT
BERNH. CHRISTOPH. BREITKOPF
LIBRARIVS. LIPSIENSIS



BL
205
.C3

1417443

Carpzov

Philosophorum de

qviete dei placita...

